Responsio

VALEDICTORIA

AD

Secundam SANDII Epistolam

In Vindicias Nuclei sui

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

Conscriptam.

Una cum Appendice de Cingallo.

Per *Samuelem Gardinerum* S. T. D. of
E. Rington in y. County of Darby, near
Chesterfield, a letter to be left at
y. Post house there will safely come
to him.

LONDINI.

Apud *G. Crooke*, ad Insigne viridis Draconis
juxta portam vulgò dictam *Temple-Bar*, 1681.

Ad ſecundam Chriſtophori Sandij *Epiſtolam Reſponſio.*

Vir Doctiſſime !

QUanquàm, nec immeritò, gravatìm ferre poſſem literas meas privatìm tibi miſſas, me planè inconſulto, publici juris à te factas eſſe (cum librorum impreſſorum diverſa ratio ſit) nè tamen non tàm famæ meæ, qui nihil ſum, quàm Chriſti Domini gloriæ ejuſq; SS. veritati deeſſe videar, ijs quæ in mea reponis reſponſionem paucis accipe.

In initio (frigidè ſatìs) laudas candorem meum, cùm non detrectem quoſdam errores (ſed minimi momenti) in Librum meum Typographi vel Amanuenſis, vel mei incuriâ, irrepſiſſe. Grave crimen Caie Cæſar, &c. Putaſne me, vel Amanuenſem, vel Typographum ἀναπταιστον eſſe, et ab omni errore immunem? Nonne *in Libro etiam tuo* plurima jàm tandem *emendanda* agnoſcis? Quis tulerit Gracchos &c. Erroribus hiſce accenſes quòd cum locum illum, 1 *Cor.* 15. 28. allegâſſem, Poſtquam verò ſubjecta fuerint illi omnia &c. totum Verſum non tranſcripſerim; quaſi infrequens adeò eſſet in citandis S. Scripturæ locis nonnulla brevitatis causâ, ut Chriſtiano Lectori notiſſima, interdùm omittere; vel errata quædam in libros ſummâ cum diligentiâ (nè Sacro-Sanctis Bibliis exceptis) Typis impreſſos illabi. Imò, in Epiſtolâ hàc tuâ, ſi paginas 143, 144, 147. conſulas, errata nonnulla reperias. Sed pudet me nænijs hiſce Lectori fruſtrà moleſtiam creare. *Vid. Hyp.* p. 164.

Scripſi te, cùm in Libro tuo probare inſtituiſſes nihil ex Scriptis Patrum trium primorum ſeculorum contra Arianos ad confirmandam SS. Trinitàtis conſubſtantialitatem & coæqualitatem præſtari poſſe; quin potius ſeculo quarto eos gloriari potuiſſe de unanimi Patrum conſenſu, non poſſe dici id ſcripſiſſe in uſum Proteſtantium, qui Articulum illum non minùs quam Pontificij ſuum, imo, maximum (*h. e.* fundamentalem et ad ſalutem creditu neceſſarium) agnoſcunt: Qui de primorum ſeculorum Patrum in eo alijſq; fidei Catholicæ propriè ſic dictæ ſecum conſenſu plurimùm gloriantur, & maximi

ximi poſt Scripturæ autoritatem (ut Hæreticis novitatibus & Paradoxis interpretationibus fibulam imponant) meritò faciunt; cùm omnes hæreſes (ut rectè olim obſervavit Tertullianus) ex malè intellectis Scripturis oriantur. Quis obſecro prudens & ſobrius diſſitebitur magni ponderis & momenti eſſe, præſertim in fidei myſteriis quæ rationis noſtræ primorum parentum lapſu aliquatenùs obcæcatæ & diminutæ captum ſuperant, Apoſtolicæ & primitivæ Eccleſiæ judicium autoritatem ve directivam ſeu miniſterialem, ut verum S. Scripturæ ſenſum diſcernamus & certâ πληροφορία teneamus? Nonne hæc ipſiſſima, illa bona & antiqua via eſt quam Pater tuus in Præfatione ſuâ tibi non minùs quàm nobis tantoperè commendavit? S. Irenæum, Tertullianum, alioſq; Patrum hoc modo Hæreticis os obſtruxiſſe notius eſt quàm ut probatione indigeat. Quiſquis igitur Articulis fidei, præſertim quæ SS. Trinitatem ſpectant, à Proteſtantibus receptis ſeculorum Apoſtolorum ætati proximorum aſſenſum detrahit, dici neutiquàm poteſt aut debet in uſum Proteſtantium aut Catholicæ Eccleſiæ (quicquid de Romanâ Statuas, ubi omnia (ut notat Clariſſimus Sandius in ſpeculo Europæ) ex utilitate æſtimantur) ſcripſiſſe, quin potiùs, quantum in ipſo erat, Catholicorum omnium fidem labefactâſſe & concuſſiſſe.

Sed argumentum tuum perpendamus. " Si, inquis, Pontificij in uſum Romanæ Eccleſiæ ſcripſiſſe dici poſſint, quando " probârunt articulum illum non poſſe ex S. Scripturâ probari, ut Proteſtantibus perſuaderent autoritatem traditionum; quid obſtet quo minùs & ego dicar in uſum Proteſtantium ſcripſiſſe quando Pontificijs perſuadere volui, Scripturam ſolam eſſe credendorum normam, quia ex traditione Articulus ille (ſcil. Trinitatis) probari non poſſit.

Argumentum hoc utrâq; claudicat tibiâ. Nam primo de traditionibus Eccleſiæ Catholicæ, ſeu quæ ſcriptis antiquorum Patrum unanimiter probantur, Proteſtantibus cum Romanenſibus lis non eſt, ſed de traditionibus particularis Eccleſiæ Romanæ non ſcriptis, *juxta quas* S. Scripturam, ut ipſe ais, Patres, Concilia, omnia interpretanda eſſe decernunt. Imò, quod articulos fidei attinet, et dogmata illa quæ maximi momenti ſunt, agnoſcunt Proteſtantes tutiſſimum eſſe Apoſtolicæ & primitivæ Eccleſiæ traditioni ſeu doctrinæ Scriptis traditæ in exponendis Scripturis religioſe adhæreſcere. In uſum Eccleſiæ Romanæ eſſet probatum dare ſolis quæ ab eâ approbantur traditionibus, ſepoſitâ S. Scripturæ autoritate, articulos fidei licitè condi poſſe & ſufficienter confirmari. Univerſalis

ſalis ſeu Catholicæ Eccleſiæ traditionis autoritatem qualem qualem convellere vel corrumpere, nec è re eſt Proteſtantium nec Pontificiorum, quotquot Catholici audire geſtiunt.

Fateor equidem Pontificios nonnullos, ut Proteſtantibus traditionum autoritatem commendarent, ſcripſiſſe Trinitatis dogma (quod Patres diſertè aſſerunt & argumentis è S. Scripturâ petitis clariſſimè evincunt) non poſſe (ut Ariani & Sociniani etiàm contendunt) ex S. Scripturâ, ſed ex ſolâ Eccleſiæ traditione probari. Verùm hi pauciores et ut plurimùm minorum gentium ſcriptores ſunt. Inter eos Primipili & Promachi (quicquid ad faciendum populum de traditione nonnunquàm glorientur) idem non modò ex S. Patribus, ſed quamplurimis S. Scripturæ locis operoſe admodùm & prolixè confirmare nituntur, ut apud Bellarminum, Greg. Valentiam, alioſq; Jeſuitas legas. Sed quid hæc ad te attinent, V. D. qui Trinitatis Conſubſtantialitatem nec S. Scripturæ nec traditionis autoritate niti ſentire videris? Qui non modò Patrum ſed S. Scripturæ loca in ejuſdem confirmationem producta in Arianum ſenſum interpretaris, ut Joann. 10. 30. 14. 9. 20 aut ità interpretantibus applaudis. Nucl. l. 1. in fine.

Num quiſquam Pontificiorum unquam ſcribere auſus eſt Trinitatis dogma nec Scripturæ nec primitivæ Eccleſiæ autoritate probari poſſe? Arianam verò Hæreſin poſſe? Ubinam, quæſo in toto libro tuo Trinitatis Conſubſtantialitatem ex ullo S. Scripturæ loco confirmas aut confirmari poſſe concedis? Provinciam hanc ad evitandam Arianiſmi invidiam Cingallo tuo, opinor, poſtmodùm demandâſti. Nec eſt quod putes te ſub Ariani perſonâ effugere poſſe; nec enim tuum erat S. Scripturæ ſed Patrum tantùm Ante-Nicænorum circa Trinitatis Conſubſtantialitatem teſtimonia labefactare; Dein, quàm elumbis eſt illa tua conſequentia, Trinitatis dogma ex ſolâ Scripturâ (quod minimè agnoſcis) probari poteſt, non ex traditione: Ergo S. Scriptura ſola credendorum omnium perfecta norma eſt. Nôſti antiquum illud, Argumentari non eſt ex particulari. Iterùm dico Proteſtantibus defenſione iſtâ non opus eſſe; qui quanquàm agnoſcant Scripturam eſſe ſolam & perfectam credendorum normam, fatentur interim nihil ex Scripturâ probari poſſe, eſſe fidei articulum ad ſalutem creditu neceſſarium (de ijs enim ſolùm controverſia agitur) quod etiam ex Patrum ſcriptis abundè apertiſſimèq; confirmari non poſſit, et primitivæ Eccleſiæ traditionem, ſeu interpretationem clavem eſſe præprimis utiliſſimam, quæ nos ad capeſſendum ſalutiferæ veritatis Theſaurum in Scripturis recondirum deducat.

Hæc tu periculoſe admodùm & pernicioſe ſeparas, quæ Proteſtantes prudenter conjungunt, ſcil. S. Scripturam ut Textum & primitivæ Eccleſiæ ſenſum, ſeu conſentientem interpretationem, ut optimam (cùm infallibili judicio nullus jàm polleat) gloſſam. " Quam in rem tua tibi in memoriam „ verba revocavi, Cùm S. Scriptura propriæ privatæve inter„ pretationis non ſit, oportet eam interpretari juxta unani„ mem conſenſum Doctorum primitivæ Eccleſiæ. Quibus reſpondes, Mihi cum Socinianis res erat; non cum Pontificiis, multo minùs cum Proteſtantibus. Egregiè! Næ tu, mi Sandi! omnium Scenarum homo es, et perſonam quamlibet optimè agis. Nùm contra ſolos Socinianos Scriptura propriæ, privatæve interpretationis non eſt? Nùm contra eos ſolùm juxta unanimem conſenſum Doctorum primitivæ Eccleſiæ eſt intelligenda, non item contra Arianos omneſq; alios Hæreticos? Odit anima mea ſcenicam hanc Theologiam, quæ Scripturam inſtar naſi cerei huc illuc flectit. Nonne pudet te hoc modo in re maximè ſeria ludere, vel potiùs Chriſtiano Orbi illudere? Addis, Tibi in animo fuiſſe non Proteſtantes aut Pontificios, ſed Socinianos reddere Arianos. Itane? Confitentem igitur te reum habemus te librum tuum ſcripſiſſe ut aliquos, etiàm ex Proteſtantibus, faceres Arianos; niſi Socinianos familiares tuos, quod peſſimè ferent, è Proteſtantium numero expunxeris. Nonne illi æquè ac tu S. Scripturam ſolam credendorum normam eſſe clamitant, contempto interìm, ut ais, antiquorum Patrum conſenſu & interpretatione? Quid ſi probatum dederis Patres omnes à Socino non minùs quàm Photino diſſentire? Nihil adhuc efficies: addent illi, non Patres, ſed S. Scripturam eſſe perfectam fidei normam, quorum teſtimonia, ut ipſe optimè nôſti, non magis curant, quàm Judæi (proh pudor!) Apoſtolorum. Sociniani igitur adhuc et obfirmati magis operâ tuâ permanebunt, non, quod tu velles, Ariani. Quanquàm nondùm intelligere me fateor quo pacto licere tibi putes Socinianos, nec non Judæos, facere Arianos, i. e. Hæreticos & blaſphemos, negantes Dominum & Deum qui eos proprio ſuo ſanguine redemit, ut eos gradatim redderes, ut prætendis, Orthodoxos. Nùm tibi fas eſt mala agere, ut bona eveniant? quorum (Ità me docuit S. Paulus) damnatio juſta eſt. Caveſis igitur ne dùm foveam aliis effodias (quam juxta Dei legem Exod. 21. 33. replere teneris) ipſe in abyſſum incidas.

„ Subjungis, Si interrogas, inquis, quâ ratione mihi licitum „ eſſe putem ex Patribus quos erraſſe arbitror (i. e.) ſi

mentem

mentem tuam rectè capiam in aliquibus minoris momenti, vel fortè potiùs cùm Arij hæresin oppugnent) Socinianos convertere ad Arianismum ; „ Respondeo in eâ re non errâsse, quâ „ à Socino dissentiunt, nimirùm Christum fuisse ante Mariam, „ imò, ante mundum. Ità sanè tu sentis: Sed quid hoc ad convertendos Socinianos, qui alitér sentiunt & credunt Patres non minùs in eâ re quam cùm (ut ais) Christum Paulò ante mundi creationem ex nihilo factum, aut ex Deo ab æterno genitum asserant, à veritate aberrâsse? Putasne tuum αὐτὸς ἔφα, scil. Patres cùm à Socino dissentiunt rectè sensisse, non item cùm ab Ario, Socinianos in Arianos convertere posse? Dein, haud leviter erras si existimes omnes Patres universìm in ullo, non dico dogmate, sed articulo fidei creditu ad salutem necessario, errâsse aut falsum unanimitèr docuisse. Utinàm consuleres doctissimum acutissimumq; Doctorem Field nostratem *Lib. 4. de Eccle. cap. 5.*

Sed quicquid hâc in re statueris, fateris tandèm veram esse hanc conclusionem quam ex præmissis tuis deduxi, nimirùm, Ergo juxta Arij sententiam S. Scripturam interpretari oportet. Siccine? Ergo haud ultra te Arianum personatum appellare mihi liceat, sed, pace tuâ, planè Arianum. Recta enim Scripturæ interpretatio (quam Christianos omnes summo studio in oculis ferre oportet) non hæresin sed veritatem sapit, cujus neminem pudere deceat. Nonne S. Scripturam juxta veritatem fidemq; Apostolicam interpretandam esse existimas?

Verùm enim verò si Scriptura juxta Arii sententiam interpretanda est, quâ ratione in usum Protestantium cedat te probâsse (si modò probaveris) Scripturam esse perfectam credendorum normam nullus video. Sed addis, ut Arianismi suspicionem amoliaris, Scripturam esse juxta Arii sententiam interpretandam in ijs quibus à Socino dissentit. Responsione hâc fucum Lectoribus facis, & nebulam objicis. Eo enim in loco unde hæc verba desumpta sunt disertè asseris, Patres non modo a Socino dissentire, sed eandem (quod notari vellem) cum Ario doctrinam liberè prædicâsse & scriptis edidisse, quia ante Concilium Nicænum numquàm doctrina illa (scil: Arii) pro hæreticâ damnata est. Lib: 1. p: 228, 230, prioris editionis. Paulo post pag: 233. Nos probavimus omnes Patres eadem cum Ario docuisse. Hinc omnino sequitur Scripturam interpretandam esse juxta Arii sententiam, non modò in iis in quibus a Socino Patres dissentiunt, verùm etiàm quoad omnia in quibus Ariana hæresis propriè consistit. Undè verissim

ex præmiſſis tuis intuli, Si Arianus non ſis eſſe debes; niſi cum Socinianis Patrum interpretationem vilipendas & verba tua reſorbeas. Eodem in loco variis uteris argumentis ut Socinianos redderes Arianos, quæ cùm Arianos haud minùs feriunt, operæ pretium exiſtimo huc tranſcribere. Ità ſe habent. "Licet "dogma de præexiſtentiâ (Chriſti) anteſeculari in ſymbolo "Apoſtolico non contineatur, præſtat tutiorem ſequi viam eam "non denegando. Idèmerito dixiſſes de exiſtentiâ ejus ab æterno. Pergis. Nàm ſi Chriſtus præextitit (adde, vel extitit ab æterno) quanti res plena periculi Chriſto id nolle concedere "quod ei jure competit, & quàm mitem judicem habituri ſunt qui ità ſentiunt? — Etſi Chriſtus non fuit ante Mariam (addidiſſes, aut ab æterno) periculo tamen vacat confeſſio: Chriſtus enim non ſuccenſebit iis (i: e: Anti-Arianis) qui ei nimium honoris tribuêrunt. Nec eſt quòd timeant (Homoüſiani ſupple) ſe eo ipſo detrahere majeſtati Patris: nàm ut taceam "non eſſe contra rationem vel impoſſibile, Filium fuiſſe primogenitum, ante omnes creaturas (adde vel ab æterno) in majeſtatem Patris, profectò magis convenit talem Filium ante "ſecula (addere potuiſſes, imò debuiſſes, ab æterno) non "feciſſe ex nihilo, ut *cæteras creaturas*, ſed (ut verè Filium ex priâ ſubſtantiâ) genuiſſe. Hæc obiter, ut Lector pernoſcat "Sandianam Socinianos in Arianos convertendi methodum. "Pergamus.

Quòd ad ſcomma tuum in S. Athanaſium attinet, ais, jocoſè, facete & lepidè dictum eſſe, quale ipſe judicarem ſi quis Athanaſio amicus tali Epigrammate in eum luſiſſet. Sed haud putem ego Arianum ullum eſſe Athanaſio amicum, niſi perſonatum. Veteres etiàm Ariani perſonam induêrunt; indignè enim tulerunt ſe Arii diſcipulos nominari. Sed hæc mitto.

Ex Ariſtotele & Philone exempla protuli, in quibus τὸ κυρίως, propriè, rectiſſimè transferendum eſt. Reſpondes te nondùm perſpicere quo minùs in locis allegatis vocem illam, principaliter, redderes. Utinàm Ariſtotelis locum conſuluiſſes, ubi non tantùm ait πρώτως, primùm ſeu principaliter, ſed etiàm κυρίως, propriè, amicitiam inter bonos (cùm virtus moralis ſit) tantùm verſari. Quid planius? Nùm etiàm apud Philonem κυριώτερον εἰπεῖν principalius, aut magis, propriè loqui, vertendum eſſe putas? Teipſum appello. Nos Angli (lepidè dictum ſit) dicere ſolemus, Nemo tàm cæcus eſt, ac is qui videre non vult. Fateris interìm Juſtinum dicere Chriſtum eſſe ſolum propriè dictum Dei Filium; Ergo non factum, &c.

Scripſi inſuper, Contradictionem ſapere aliquem eſſe principalem

palem & ſolum alicujus Filium. Contradictionem fateris; ſed addis κυρίως iſto loco non eſſe, propriè, vertendum. Reſpondeo, nil obſtat quo minùs eo in loco ità, ut alibi, vertatur, præſertim cùm Juſtinus aſſerat Chriſtum non tantùm κυρίως ſed etiam ἰδίως (quam vocem tu ipſe ſenſui Tropico & improprio opponi concedis) eſſe genitum non factum (ut Ariani tui docuêre) Dei Patris Filium. Hoc mihi ſatis eſt.

Pergis, Non tantùm Juſtinum ſed Arianos implicitè ſaltèm (i:e: veteratorie) videri ſtatuiſſe, Chriſtum ſolum eſſe propriè dictum Dei Filium, dicentes Filium eſſe genitum, non ut alias genituras (h. e. ex maris & fœminæ fortè congreſſu) per quem dicebant omnes alias creaturas, & in iis Spiritum S. creatas, quem Creatorem noſtrum vocabant. Ita fortaſſe, ſed non ſine manifeſtâ contradictione. Filium genitum dicebant Ariani; ſed non ex Dei ſubſtantiâ genitum, verùm creatum ſeu factum ex nihilo, ſicut & Iſraelitæ de quibus conqueritur, Filios genui & rebellârunt contra me. Verbum creatum eſſe dicebant, ſed non ut alias creaturas, quià ante alias omnes, non in tempore ſed ante ſecula, h. e. mundi creationem, formatum eſt; nihilominùs ab æterno non erat; erat enim quando non erat. Tandèm creaturam eſſe agnoſcebant; ſed quod abſurditatem omnem ſuperat, creatorem omnium aliarum creaturarum; cùm vel Tyrones in Philoſophiâ Chriſtianâ nôrunt, Creationem non eſſe communicabilem ulli creaturæ; quod quid aliud eſſet quàm naturam corruptibilem in gloriam incorruptibilis & omnipotentis Dei convertere. Sed his miſſis, de quibus plura ſtatim inferiùs, firma & inconcuſſa adhuc manet conſequentia mea; ſi Chriſtus juxta Juſtini ſententiam ſit propriè & ſolus Dei Filius, non eſt ejus, ut alii innumeri, Filius creatus, factus aut gratiâ tantùm adoptivus. Quicunque propriè Filius alicujus eſt ex Patris ſui ſubſtantiâ gignitur: ſed Chriſtus, ut ait Juſtinus, eſt propriè Dei Filius: Ergo ex Dei Patris ſui ſubſtantiâ gignitur. Qui verò ex Dei ſubſtantiâ genitus eſt, neceſſariò eidem conſubſtantialis, ac proindè ſubſtantiâ coæqualis, enaſcitur. Ariani tui, ut apud Ambroſium legas Lib. 30 de Fide Cap. 70, conſequentiæ hujus evidentiam perſpexerunt & agnoverunt. De Cadmæis Arianorum conſiliis ſe mutuò conficientibus infrà nobis agendum erit.

Ex Origine lib. 6. in Celſum hæc verba allegavi. "Nam "neque ab æterno genitum (ità reddit interpres, quod mihi "ſufficit hiſtorici partes agenti) "omniſque creatæ naturæ "primogenitum quiſquam pro dignitate poteſt nôſſe, niſi "Pater

" Pater qui eum genuit. Hinc probare volui Chriſtum ab æterno (primogenitum, h. e. tempore ante alias creaturas factum Ariani confitebantur) ex Patre genitum eſſe. notavi in Parentheſi Græcâ habere ἀγέννητον ſeu ingenitum. Quid aliud igitur ſentire potuit Origines quam Chriſtum à Patre abæterno genitum, eſſe ut Deum in tempore ingenitum, ſeu ab æterno, non in tempore, genitum. Jàm percipis opinor mentem meam, nec non Juſtini, ità ut, eam ob cauſam haud tibi opus eſt ut angas te animo, aut Heautontimoreumenon agas.

Quæ ſequuntur levioris momenti ſunt. Scripſi, auſcultare, cum Dativo non ſemper ſignificare obedire, ſi accuratè loquamur. Probatum dedi exemplis Adami & Abrahami, qui auſcultarunt h. e. aſſenſi ſunt, ſed neutiquàm proprio vocabuli ſenſu uxoribus ſuis obedierunt; quod nimis indecorum eſt. Vide 1. Pet. 3. 6. Imò, replicas, quid ni, ſi vera & bona ſuadeant? Itane? Reges igitur ſubditis, Parentes Filiis, Dominos Servis, ſi vera dicant & bona ſuadeant, obedire decet. Nonne perſpicis qualem ἀναλογίαν & confuſionem introducere moliris? Ut verò aliud eſt monere aut ſuadere, aliud mandare vel imperare, ità aliter ſe habent auſcultare & obedire. Quod locum illum Terentianum attinet, quem tu novo Criticiſmo hactenùs inaudito ità legendum putas, Auſculta, paucis, i. e. te volo; quaſi ex feſtinatione & abruptè dictum. Inſpice, obſecro locum, in Andriâ Act. 3. Scen. 3. &. ſat ſcio, erubeſces.

Quæ verò in Præfatione meâ ex Hilario, nec non Hieronymo & Auguſtino attuli, ut probarem Patres, ſalvâ ſemper debitâ in eos reverentiâ, Apoſtolicæ fidei tenaciſſimos, nonnunquàm duriùs & commodè minùs locutos eſſe; tu pro candore tuo, etiam monitus, ita intelligis quaſi verba Hieronymi & Auguſtini adduxiſſem ad excuſandum Hilarium. Ego verò Hieronymi & Auguſtini, uti & Hylarii, verba allegavi, non ad excuſandum Hilarium, ſed ut oſtenderem in Patribus, non modò Ante-Nicænis, ſed etiam Poſt-Nicænis nonnulla, ſed duriùs, occurrere cautè minùs ſcripta, quæ Arianæ Hæreſi Lectoribus minùs candidis aut judicio pollentibus favere videantur. Sed noluiſti opinor breviſſimæ periodi ſenſum rectè capere, quæ univerſa penè quæ ex Patribus in Arianiſmi gratiam corraſiſti teſtimonia obliterat.

Finità velitatione ſeu vitilitigatione tuâ, jàm juſto agendum eſt prælio. Ex Clementis Romani epiſt. ad Corinth. duo produxi teſtimonia. Primum ubi ait, " Per Chriſtum oculos

cordis

"cordis noſtri apertos eſſe &c. Hinc jure meritoque intu-
"li, Chriſtum eſſe Deum omnipotentem, qui hæc ſolus
præſtare poteſt. Reponis „ Arianos idem dicere potuiſſe,
„ qui aſſerebant per Chriſtum omnia eſſe condita, adeòq; ab
„ eo etiàm oculos cordis noſtri eſſe apertos: majus quippè
„ eſt oculos cordis noſtri creare quàm eoſdem aperire. Qui-
bus reſpondeo, me neutiquàm diffiteri Arianos potuiſſe idem
dicere, imò dixiſſe. Quis enim dubitat Hæreticos omnes non
modò S. Patrum, verùm etiàm Prophetarum & Apoſtolorum
verba, ſed ſenſu ſuo privato, h. e. falſo & prophano, uſur-
pâſſe? Dixerunt, ſat ſcio, Ariani per Chriſtum, i. e. tan-
quam creatum inſtrumentum, oculos cordis noſtri ut cætera
omnia creatos vel apertos fuiſſe: Sed nullâ ratione creden-
dum eſt S. Clementem Virum doctum & pium ſenſiſſe, Chri-
ſtum fuiſſe (quod ſumme contradictorium & blaſphemum eſt)
creaturam ſimul & creatorem; cùm creandi virtus infinita ſit
& incommunicabilis divinæ naturæ perfectio ſeu prærogati-
va. Qui hoc negat in ipſum Apoſtolici Symboli & Chri-
ſtianæ fidei limen impingit, „ Credo in Deum Patrem omni-
„ potentem, creatorem cœli ac terræ. Ubi creatio aper-
tiſſima omnipotentiæ divinæ, nec non Deitatis, demonſtratio
eſt, juxta Iſai. 42. 5, 8. Jerem. 10. 11, 12. Dein, ſi Chriſtus
idem numero Deus cum Patre ſuo non ſit, ſecundùm illud,
Ego & Pater unum ſumus, nimirùm potentiâ (eam enim verba
immediatè præcedentia reſpiciunt, *Nemo poteſt oves meas è manu
mea rapere*) ac conſequenter eſſentiâ; plures Dij omnipotentes,
plures cœli & terræ creatores, à nobis fide agnoſcendi co-
lendi & adorandi eſſent; quod ipſum Gentilium Polytheiſ-
mum, ſaltem Pontificiorum Douleiam, h. e. cultum religio-
ſum, majorem civili & minorem divino, neceſſariò inferret.
Tu ipſe nos alicubi doces Arianos Chriſtum non eo ſummo cul-
tu adorâſſe quo Patrem, ſed illum invocâſſe ut mediatorem,
ut Regem, ut Dei Filium, &c. Nec eſt quòd Ariani præpoſi-
tionem *Per* tantoperè urgeant, quaſi cauſam inſtrumenta-
lem ſemper denotantem. Supponamus enim S. Clementem
ſcripſiſſe, Per Deum Patrem (ut Rom. 11. 36.) oculos cordis
noſtri creatos vel apertos fuiſſe; num indè colligere liceat
Deum Patrem eſſe cauſam inſtrumentalem? Qui verè Deus
eſt, ut talis, inſtrumentum eſſe non poteſt. Ut brevi conſtrin-
gam. Cùm Clementis verba ſanum & ortho doxum ſenſum
facilè admittant, imò ambiant, nec ulla ſubeſt ratio cur in
Arij ſenſum diſtorqueantur, haud immeritò illa inter cæte-
S. Patrum teſtimonia Catholicæ fidei ſuffragantia recenſenda

existimavi? Quæ si non valeant singula, juncta probant. Haud igitur operæ pretium puto prolixum illum quem de Maximino dialogismum fingis in examen revocare. Quid enim meâ refert si Arianus ille aliorum more tùm vefitati, tùm sibimetipsi, ut et parenti suo Ario, contradixerit? Historiæ Ecclesiasticæ ignarissimus est, qui nescit Arianos strophis, tergiversationibus & æquivocationibus non modò Constantinum & Constantium Imperatores, sed magnam orbis Christiani partem fefellisse & ludificâsse. S. Clementi alia mens, alius animus erat, quàm ut creaturam converteret in creatorem, aut creatorem in creaturam, vel S. Viris aut Angelis cultum religiosum præstaret. Hoc non est τὸ in principio petere, sed veritatem irrefragabilem, et S. Clementis nomine dignam, pro confesso sumere. Hæc in priorem locum.

Quod secundum attinet, „ Christum esse splendorem glo„ riæ & characterem personæ Patris, agnosco non esse Cle„ mentis verba, sed Pauli; verùm à Clemente approbata. Num credibile cuiquam esse poterit sanctum & eruditum hunccę Virum sensisse creaturæ ulli, vel Christo ut creaturæ, competere ut sit splendor gloriæ Dei & character personæ ejus? Haud opinor. Sed quicquid tu vel Ariani tui dicant aut contradicant, ex verbis illis coæternitas Filij cum Patre luculentissimè comprobatur: cùm æterni Solis, h. e. Patris, splendor, scil. Filius, non minùs æternus est, ut Origines, Dionys. Alex. aliiq; Patrum indè intulerunt; quod Arium, qui τὸ συναΐδιον negare ausus est, jugulat. Nec quicquam valet Hæreticos Arianos verba illa libenti animo ut verissima agnoscere. Quis enim nescit Hæreticos omnes non minùs quàm Arianos Scripturæ verba Psittacorum instar resonare posse? Num igitur ex clarissimis S. Literarum testimonijs eorum Hæreses, h. e. privatæ & prophanæ interpretationes revinci (ut cum Tertulliano loquar) non possunt? Quorsum igitur tu ipse tantoperè probare satagis S. Scripturam esse, quod Pontificij negant, solam & perfectam credendorum omnium normam? Num illi nudis Scripturæ verbis fidem suam derogant? Quanquàm igitur Ariani dictum illud seu Pauli verba minimè improbarunt; concedendum tamen est ea juxta proprium & genuinum sensum satis obvium & perspicuum Arianam Hypothesin funditùs evertere. Num sol unquàm vel momento temporis caruit splendore suo? Momento inquam vel temporis imaginarij quod sola mens cogitatione suâ concipere possit?

Ad Ignatium transis, è cujus Epistolâ ad Magnes. illa verba

ha allegavi, ὃς ἔστιν ἀυλῷ λόγος ἀΐδιος. In quæ laciniosâ uteris præfatione, scil. „ Te supposuisse me in omnibus non aliter „ allegâsse Patrum verba (quod verissimum est) quàm in au„ toribus inveneram. Agnosco candorem tuum.

----„ Posteà verò Patres inspexisse & hâc in re quandoq; „ aberrâsse me compertum habere. Aberrâsse non dolo malo „ vel piâ fraude &c. Addis te optimam Ignatij editionem, „ scil. Usserianam adijsse, nec ibi locum illum à me citatum „ inveniisse, sed illa tantùm verba, ὃς ἔστιν ἀυτῷ λόγος, omissâ „ voce ἀΐδιος. Sed quorsum obsecro V. D. hanc Tragædiam moves? Nonne in margine Libri mei, nec non paginâ sequente, clarè satis indicavi me verba illa ex Codice Medicæo ab Usserio edito transcripsisse? Putabam ego, te omnes Ignatij editiones quascunq; ad unguem tenuisse & habuisse notissimas. Sed aliquando bonus, ut video, dormitat Homerus. In eo falli videris quod minimè animadverteris Reverendissimum illum Virum de Ecclesiâ optimè meritum, duplicem Ignatij editionem adornâsse: unam cum interpolationibus Oxonjæ Anno 1644. Alteram ab interpolatoris assumenti liberam Londini anno 1647. Concepta illa verba à me allegata ibidèm reperias, ὃς ἔστιν ἀυλῷ λόγος ἀΐδιος, pag. 13. posterioris editionis.

Utrùm verba illa ab Athanasio & Theodoreto (quem Græcum nanciscì non licet) memorentur, haud multùm refert, cùm in Ignatio extent. Quanquàm autem possem tibi tuis ipsius verbis facilè respondere, Tu hæc Parentheticè (ut sunt) dicta existimes, præsertim cùm oleum & operam frustra in ijs vindicandis impenderem, dùm scribas, Athanasium & Theodoretum (Quantos Viros! Sed hæc tua est quam ubiq; prodis in S. Patres Reverentia) non multum in fideli Patrum allegatione tribuendum esse; ne tamen frustrà candorem meum laudâsse videaris, fateor me alium Ignatij locum ad Magnes. ab Athanasio & Theodoreto laudatum in animo habuisse. Sed his quæ ad rem minùs spectant prætermissis ad alia pergamus.

Sciscitabar ubi locì Ignatius scripsit Christum esse ἄναρχον; Respondes in Epist. ad Philippenses. Verùm si locum illum consulas perspicies nullus dubito autorem illum (non Ignatium) contra illos Hæreticos disputare qui SS. in Trinitate personas confundebant, qui non Christum Verbum sed Patrem pro nobis incarnatum (vide initium epistolæ) & crucifixum (quæ Gnosticorum, Patripassianorum & Sabellianorum hæresis erat) docuerunt. Hi Filium ἀγέννητον καὶ ἄναρχον esse fabulati sunt, & Filium in Patrem (cujus hæc propria & Characteristica sunt) commutârunt. Quid hoc ad Ignatium ejusq;

ſententiam attinet, qui eo in loco, neutiquàm Filium ſed Patrem ἄναρχον appellat? Quòd ſi ità ut tu velles res ſe haberet, pro me facit. Qui enim ἄναρχος, h. e. ſine principio temporis eſt, æternus rectiſſimè audit. Sed de his ſatis.

Scripſi inſuper ὁμότιμον idem eſſe ac ἰσότιμον apud Zenophontem, Plutarchum, &c. ut ὁμόσπορον denotare non ſimilis ſed ejuſdem ſententiæ participem, ὁμόδοξον, ejuſdem ſententiæ fautorem. Rectè inquis, et ſic ego dico ὁμοτίμους non ſimilis ſed ejuſdem honoris participes. Benè habet. Nonne igitur & tibi ὁμοτίμοι, cùm ejuſdem planè honoris participes ſint, videntur ἰσότιμοι? Quod ſtatim negas; addis enim, Legatum & Filium ejuſdem numero (non ſimilis) honoris participes non rectè dici ἰσότιμους. Quo teneam &c.

Cùm fruſtrà ſuſpicionem moveres Græcam Ignatij editionem à Græculis, quorum perfidia, inquis, in caſtrandis & immutandis Patrum operibus ſatis nota eſt, eſſe corruptam; ſperavi ſaltèm Patris tui verba te in meliorem mentem reducere potuiſſe. His nil aliud reſpondes quàm, „ Te jure unum loc„ cum corruptum dicere. Quorſum hoc? cùm non de uno tantùm Ignatij loco, ſed de caſtrandis & immutandis Patrum operibus quererer is; adeò tibi cum Patre tuo & teipſo convenit. „ Quod verò addis, Ebionitas, Samoſatenianos, Pho„ tinianos jampridèm tenues evaſiſſe in auras; multùm, ut vereor, falleris, cùm illorum damnatæ hæreſes in Socinianis vivant & refloreſcant; qui, ut ais, S. Patrum autoritate non magis urgentur quàm Judæi Apoſtolorum. Nec mirum; cùm *illi ſoli ſapiant, cæteri omnes tanquam umbræ volitant.*—Arianos meritò ſuggillavi qui Chriſtum nomine & titulo tenus Deum profitentur, ſed factum, non ſemper exiſtentem, ex nihilo creatum. Quid reponit perſonatus Arianus? „ Probare igi„ tur, inquis, debueras ſolidiſſimè ex Ignatij ſententiâ Filium „ eſſe Deum infectum, ſemper exiſtentem, non ex nihilo „ creatum ſed ex eſſentiâ Dei genitum. Profectò pudet me homini docto & Chriſtiano probatum dare eum qui verè Deus eſt (quod Ariani de Chriſto confitentur) eſſe infectum, non ex nihilo, ut creaturæ omnes, creatum, ſed ſemper exiſtentem. Quid ſi hoc ipſum non ex Ignatio ſed aliis Patribus probaverimus? Num omnia ex ſolo Ignatio confirmanda putas? Imò verò ex Ignatio probavi ſolide ſatis Chriſtum eſſe ἄϊδιον, h. e. æternum ſeu ſemper exiſtentem; niſi Ariani ut novum ſibi Deum ità novam æternitatem minimè ſempiternam finxerint. Deum verè et propriè ſic dictum eſſe infectum notius eſt quàm ut probatione, niſi apud Infideles & Ethnicos, indigeat.

Chriſtus

Christus igitur, si nec ex materiâ factus, nec ex nihilo creatus sit, proculdubiò ex essentiâ Dei genitus est. Cedò quartum.

Sub Polycarpo scripsi, Illud contra Arium militare quòd ipse doceat, „ Nos à Christo ad vitam æternam eligi, in ejus „ gloriam fidem nostram fructificare, misericordiam & pacem „ cum Domino nobis largiri, quæ Dei solius munera sunt, nec creaturæ sine blasphemiâ adscribenda: aliàs quo jure dixi (Sandium ut Protestantem & contra Pontificios Scriptorem appellans) Pontificios ob cultum religiosum creaturis præstitum idololatriæ arguas? His respondes, Me præsupponere te Pontificios Idololatriæ arguere ob cultum Sanctorum. Verùm, inquis, ut ut in eo non vanus fueris augur &c. Sicut igitur Ariani ità Protestantis personam induis quoties libet exuendam. Utrùm Pontificij idololatriæ ob religiosum cultum creaturis præstitum rei sint, nec ais, nec negas. Cujus fidei aut Ecclesiæ addiceris augurio nobis opus est. Verùm addis, Arianos cultum religiosum Christo, Deo suo facto & ex nihilo creato, præstitisse. Ità sanè: sed cùm Christum non nisi quoad essentiam & substantiam creaturam, vetustissimam licèt & sanctissimam, agnoverint, vel Sandio judice Protestante (nisi vanus augur sim) manifestò idololatriæ aut Anthropodouleiæ rei sunt. Dolet sanè me te, V. D. hæreticorum & idololatrarum patrocinium assumere. Utinàm personam tandèm deponeres. Sed hoc Ithacus velit & magno mercentur, &c. Viceris si probaveris Christianos ullos, nisi hæreticos aut Arianos, Sanctis viris, Angelis, aut creaturæ cuicunq; cultum religiosum exhibuisse. S. Patres unanimitèr docent nullam creaturam esse adorandam, invocandam aut religiosè colendam, imò, indè probant Christum non esse creaturam, sed verè Deum, quià invocatur & religiosè colitur; utì ex Origene, Tertulliano, Novatiano, alijsq; notavimus; ut interìm de Patribus Post-Nicænis sileamus.

Ex Justino nec non Tatiano similitudinem ignis ab alio igne sine diminutione accensi protulimus, ut Filj cum Patre coæternitatem & coæqualitatem τὸ ἰσότιμον probaremus. „ Respondes, te non negare Justinum & Tatianum credidisse „ Patrem & Filium esse ejusdem speciei essentiæ ut duos ignes. „ Ità sane. Sed quæro num Arius hoc etiàm credidit? Haud opinor. Quo pacto enim creatura & creator, Deus & homo, vel spiritus ex nihilo creatus, finitus & infinitus ejusdem speciei essentiæ esse poterint? Vides igitur Patres non eadem quæ post Arius docuisse & credidisse? Addis explicandi tui gratiâ, „ Te non comparâsse Justinum cum Ario in dogmate

„ de

„ de eâdem essentiâ Filij & Patris, sed cùm Arius etiàm ne-
„ gaverit τὸ συναΐδιον & ἰσότιμον, me præter dogma istud duo
„ alia habere in quibus Patres cum Ario comparari possint,
„ h. e. ut intelligo, in quibus Patres cum Ario idem sentiunt.
„ Novi, enim, inquis, ex diversitate ætatis & honoris non
„ rectè concludi diversam speciem. Et sic, ais, responsum
„ est ad id, Justinum & Tatianum non idem quod postea Arius
„ docuisse. Ità sanè; sed respondendo nihil respondes, cùm
τὸ ἐν ἀρχῇ seu in principio, vel illud quod in controversia est;
pro concesso sumas, scil. Patres Filij cum Patre τὸ συναΐδιον
vel τὸ ἰσότιμον, uti Arius posteà, negâsse, quod falsum est;
ut ex Ignatij, Justini, Athenagoræ, Tatiani, Theoph. Antioch.
Irenæi, Novatiani, aliorumq; verbis satìs superq; in libro meo
probavi, quæ neutiquàm necesse est ut hîc repetam.

Novi, inquis, ex diversitate honoris & ætatis, non rectè concludi diversam speciem. Quid igitur? Num Deos seniores & juniores, summos & medioxumos, in Christianum orbem introducere moliris? Num divinus seu religiosus cultus, i. e. summus, gradus ullos admittit?

Candorem tuum appellavi utrum putares Justinum & Tatianum Patrem et Filium non alitèr unum essentiâ Deum credidisse quàm ut duos ignes; non specie quidèm sed numero in eâdem specificâ naturâ differentes & separabiles? Haud opinor. His respondes. 1°, „ Contradictionem esse in ad-
„ jecto. Qui enim comparat Patrem & Filium duobus igni-
„ bus quorum alter ex altero accensus est, non potest dicere
„ Patrem & Filium unum essentiâ Deum, sicut non potest
„ dicere duos istos ignes unum ignem essentiâ; vel duos ho-
„ mines unum hominem essentiâ; sed utì diceret duos homi-
„ nes unius essentiæ, duos ignes unius essentiæ, ità etiàm
„ duos diceret Deos unius essentiæ. His repono. 1°, Mirum esse te hominem doctissimum & perspicacem nondùm animadvertere, Simile non esse idem, nec similitudinem ullam, ut vulgò dici solet, currere quatuor pedibus. Essentiæ divinæ & humanæ, finitæ & infinitæ diversissima est ratio. Eadem numero essentia humana, cùm finita sit, Davidi & Solomoni sine contradictione attribui non potest. Sed eadem numero essentia divina pluribus personis juxta fidem Catholicæ Ecclesiæ, cùm infinita sit, absq; ullâ contradictione communicari posse credimus. Patrem agnoscimus esse Deum, Filium Deum & Spiritum S. Deum; nec tàmen, (ut alicubi Tertull.) plures (unius essentiæ) Deos dicere audemus (quod Gentilium est, non Christianorum) sed unum eundemq; numero essentiâ Deum,

Patrem,

Patrem, Filium & Spiritum S. celebramus. 2do. Haud negò minùs propriè dici duos ignes esse unum essentiâ ignem, aut duos homines unum essentiâ hominem, quià cùm *duos* & *unum* dicimus, essentiam non in abstracto sed in concreto cum singulari individuatione concipimus. Cùm igitur duo ignes vel homines, qui individua sunt, unum esse nequeant, iste dicendi modus ἀκυρολογίαν sapit. Rectè tamen verèq; dici potest duos, imò, universos, ignes vel homines esse unum quoad essentiam singulis communem, vel unum unitate specificâ, h. e. unitate unius ejusdemq; naturæ vel essentiæ singularibus, sed divisìm & separatìm (quæ in indivisibili Dei essentiâ locum non habent) communicatæ. Similitèr nos minimè dicimus, Tres Personas, Patrem, Filium, & Spiritum S. esse unam Personam, sed unum Deum, vel unum ratione ejusdem numero essentiæ singulis communis à Patre, Filio & Spiritui S. sine ullà diminutione, divisione aut separatione, communicatæ, quæ in tribus hisce personis, licet una eademq; sit, diversimodè subsistit. Ego simplicitate fidei Scripturæq; authoritate contentus, uti ipse loqueris, hæc credo, nec pium esse puto περιεργάζεσθαι περὶ τὸ πῶς. Rem teneo, modum nescio.

Cùm à te quærerem, utrùm putares Justinum non alitèr Patrem et Filium unum essentiâ Deum credidisse quàm duos ignes, non specie quidèm sed numero tamen differentes, subjunxi; Haud opinor. Respondes tu mihi, *Sed falleris*. Juxta sententiam igitur tuam, ut video, Justinus Martyr Christi fide imbutus πολυθεΐαν, seu plures esse Deos adhuc credidit, cujus contrarium ex Paræneſi, Apologijs, Dialogo cum Tryphone, Tractatu de Monarchiâ Dei, evidentissimè constat; ubi contra Gentiles plurimæ divinitatis (ut loquitur Tertullianus) cultores disertè asserit, & non modò ex Scripturis, sed ex ipsis Poetis & Philosophis probat, unum tantùm esse Deum. Quis præter Arianum unquàm crediderit Justinum Doctissimum Philosophum, Christianum & pro Christianâ fide non tantùm advocatum sed Martyrem, hâc in causâ turpitèr adeò sibimet ipsi contradixisse?

Regeris, ut Justinum Polytheismicum Gentilibus, quos oppugnat, reum evincas, eum probare in Libris suis, Verbum & Patrem esse duos. Rectè, ut pag. 281. Quis negat? Sed non duos Deos. Deindè Deum esse præter Patrem universorum, scil. Verbum seu λόγον, non ità tantùm differre à Patre ut lumen à Sole, sed numero aliud esse. Deindè quæris cur Justini verba allegabam si putarem eum alitèr sensisse

ac ſcripſerat. Reſpondeo, Hæc omnia ſcripſiſſe Juſtinum in Libro meo animadverti, nec eum alitèr in animo ſenſiſſe quàm ſcripſerat libentèr agnoſco. Nihilominùs negare neutiquàm potes Autorum penè omnium verba haud ſemper juxta ſyllabarum ſonum, ſed animi ſenſum & διάνοιαν, alibi dilucidiùs & clariùs ingeminatum, intelligi debere. Chriſtum præter univerſorum Patrem eſſe Deum, ſed eundem, non diverſum, cum Juſtino & Eccleſiâ Catholicâ credimus. Verbum etiàm ſeu λόγον non tantummodò & ſimplicitèr à Patre generari ut lumen, (quod accidens eſt) à Sole, ſed ut πρόσωπον ſeu perſonam, utrinq; conceditur. Tandèm, Verbum aliud eſſe à Patre Juſtini aliorumq; Patrum ſenſu nequaquàm ſignificat Filium, qui, ut ipſe nos docet, ſolus proprius eſt Dei Filius, primogenitus & unigenitus, eſſe eſſentiâ aliud ſeu alienum à Patre (quod plures Deos inferret) ſed eſſe perſonam ſubſiſtentem, ſeu ſubſtantiam vivam & rationalem; unde λόγου appellationem ſortitur.

Nec eſt quod exiſtimes tantùm Juſtini verba nonnunquàm cum grano ſalis ſeu prudentis diſcretionis ſumenda eſſe. Cæterorum omnium penè Patrum eadem prorsùs ratio eſt. Quis enim niſi perfrictæ planè frontis negaverit, Tertullianum in Libro contra Praxeam ex profeſſo probare, diſtinctionem ſeu pluralitatem perſonarum in unitate unius & indiviſæ eſſentiæ ſeu ſubſtantiæ? Ubi tamen in hunc modum ſcribit. „ Nunquàm ſeparatus (h. e. Filius) à Patre, aut alius à Patre, „ quia ego & Pater unum ſumus. Statìm addit, „ Profiteor „ me duos (h. e. alios) dicere Deum & Sermonem ejus. Ubi candidus Lector facilè perſpiciat Tertullianum voces *alius* & *aliud* indiſcriminatìm uſum eſſe, ſcil. alius pro aliud, uti Juſtinus hîc loci, aliud pro alius. S. Irenæus alicubi ait, „ Verbum & carnem in Chriſto commiſceri. Nùm hinc inferre liceat eum Eutychianiſmum (quicquid verba ſonare videantur) in animo foviſſe? Abſit. Facile eſſet plura his accumulare, ſed haud opus eſt. Fruſtrà igitur me inſimulas quaſi opinarer Juſtinum non ea ſenſiſſe quæ ſcripſit. Objicicbam; ſin ità (h. e.) ſi Juſtinus cum Tatiano crediderit Patrem & Filium non unum eſſentiâ Deum eſſe ſed plures (numero ſcil. non ſpecie differentes) quo pacto ſine manifeſtiſſimâ contradictione unum paſsìm, imò unicum Deum prædicant, et Gentilium Polytheiſmum, Neptunum, Herculem, &c. Imperatores ut Deos (numero, utpotè homines, non ſpecie diverſos) colentium arguant & condemnent? Nonnè duo Dij (Pater & Filius) plures ſunt & πολυθεΐαν inferunt æquè ac ſexcenti?

His,

His, sub persona histrioniam tuam agens, reponis, „ Justi-
„ num si viveret (nàm de ipsius corio, inquis, luditur, non de
„ meo) responsurum, quòd non neget plures esse Deos, quin
„ potiùs quòd id asserat cum Paulo, & probaverit in Dialogo
„ cum Tryphone.

Fidem hominum! Nùm Justinus contra Gentilium πολυθεότητα Martyr doctissimus & sanctissimus plures esse Deos probaverit, qui nec ipsi Domino alium Deum prædicanti se fidem adhibiturum esse disertè profitetur? Vide *Euseb.* Hist. lib. 4. cap. 18. Nùm etiàm S. Paulus? qui agnoscit quidem in mundo, h. e. apud Gentiles, plures esse Deos sic dictos. *Nobis autèm* (h. e. Christianis) *unus tantum Deus est.* — Tu nec Apostolis parcis. Fateor Justinum in Dialogo cum Tryphone Judæo, qui ità unum Deum agnovit ut Christum excluderet (qui error, utì monet Ignatius nec non Tertullianus, imò & Justinus, Judaicus est) probare, alium præter Universi Patrem à Scripturâ dici & esse Deum: Sed neutiquàm hinc sequitur Patrem, & Filium duos esse Deos, sed ἓν δύο, ut habet Clemens Alex. utrumq; unum, h. e. unus essentiâ Deus. Similitèr Tertullianus, Pater est Deus & Filius est Deus & Spiritus S. est Deus & Deus unusquisque; nec tamen duos Deos unquàm ex ore nostro proferimus. Iterùm. Ubiq; teneo unam substantiam in tribus cohæruntibus. Ratio autem cur quanquàm Pater sit Deus et Filius Deus duo Dij minimè agnoscendi nobis sint, petitur ab unitate & indivisione, imò indivisibilitate, divinæ essentiæ. Pluralitas enim Deorum non ex distinctione oritur personarum, sed divisione essentiæ divinæ, quæ cùm, una eademq; non tantùm specie, ut tu velis, sed etiàm numero in singulis personis sit, unum, non plures Deos constituit.

Addis, quod miror, „ Justinum tamen quanquàm plures
„ esse Deos probaverit haudquaquàm sibi hac in re contra-
„ dicere quandò dicit unum, imò unicum esse Deum; se enim
„ intelligere per unicum Deum Deum supremum, per alios
„ subordinatos. Deorum autem supremorum vel potiùs (in-
„ certus quid dicas) Deorum singulorum non supremorum,
„ nulliq; supremo subordinatorum (honne nulli supremo sub-
ordinati juxta te supremi sunt?) Polytheian impugnare. Horresco sanè hæc à te Viro ut sentio docto & Christiano Ecclesiæ Christi Patri & doctissimo Martyri affingi. Nonne Dij supremo subordinati vel non subordinati plures sunt? Nonne ipsam illam quam Justinus & Tatianus cum reliquis Patribus acriter & animosè admodùm impugnarunt Gentilium, qui Deos suos universos, Jovi ut supremo subordina-

tos esse credidere, Polytheian defendis, vel saltèm excusas? Deûs bone! in quæ me tempora reservâsti ut hæc viderem & legerem? „ Ubi obsecro V. D. legisti Gentiles habere De-
„ orum imperium ex institutione Aristocraticum, deindè ex
„ usurpatione Jovis Tyrannicum, se verò (scil. Justinum)
„ Monarchicum & purè Regium? Quid obsecro hoc ad causam? Quid ad Justinum? Nonne Aristocratia Deorum plurium est? Num tale aliquid apud Justinum usquàm invenisti? addere possem, nî fallor, apud ullum probatæ fidei autorem? Nùm Divûm Pater et Παλίῳ ἀνδρῶν τε θεῶν τε cæteros, & Filios suos, Tyrannicè sibi subegit? Ruto sanè te in Parnasso somniâsse, & somnia tua sub Justini M. personâ evulgâsse. Sed his in medio relictis illud fortasse vis, Justinum unum, imò unicum, supremum Deum agnovisse. Præclare! Quis verò stupidus & excors adeò est ut putet plures esse posse Deos summos & supremos? Nonnè Gentiles nonnulli Philosophi, inter quos Plato (quem eam ob causam Justinus, Platonicus antequàm Christianus, semi-Christianum appellat) necnon Poetæ, Deos illos tuos Jovi ut supremo Monarchæ subordinatos disertè abnegârunt? V. Justin. Paræneſin & De Monarchiâ Dei.

„ Sed unum, inquis, tantùm Deum subordinatum agnoscit
„ Justinus, non Martem, Neptunum, Æolum, &c. Sed Chri-
„ stum solum omnium rerum tenentem sub Patre suo impe-
„ rium. Responsio hæc nihili est. Qui enim Patrem & Filium ut Deos numero diversos adorat, non unum solum Deum ut Christiani, sed plures colit. Tu fortasse Justinum eam ob rem laudas vel excusas quod examen Deorum, aut triginta Æones cum Valentino minimè introduxerit. Sed qui Bideita est (ut verbo tuo utar) Anti-Christianus est. *Deùm tuum coles, et ei soli servies.* Ut verò tibi, si fieri possit, aliquo modo satisfaciam. Si per subordinationem nihil aliud velis quàm Christum esse ordine secundam in Trinitate personam & Patri ut Filium inferiorem, minimè refragamur. V. Alexandri Epist. apud Socratem lib. 1. Si essentiam seu naturam spectes, eadem in omnibus Patri & Filio æqualis & ἰσότιμος est. Qui enim non minùs quàm Pater æternus, omniscius, omnipotens & omnipræsens, immensus seu infinitus est, is Patri quoad essentiam æqualis jure meritòque agnoscitur. Sed talis, Patribus unanimiter suffragantibus, ut in Libro meo probavi, est Dei Filius. Ergo, Utinàm Tertullianum, quod ad æternitatem attinet, consuleres lib. contra Hermog. cap. 4. & 7. Ubi Deorum tuorum subordinationem ut Gentilissimum abrenunciat, nec non Arnobium, de quibus infrà.

Quod

Quod ſequitur de Honoratiſſimo Comite Derbiæ (illum enim indigitari autumo) qui non Inſulæ Monæ ſed in ea Rex, h. e. Pro-rex, audit, parùm aut nihil in rem tuam facit. Solum Regis nomen neminem propriè Regem conſtituit, uti nec Dei Deum. Potuiſſes etiàm Heraldorum ſeu Fæcialium noſtrorum Primatem, quem Regem ad Arma vel Armorum dicimus, addere. Sanctus Paulus Diabolum ipſum mundi hujuſce Deum alicubi appellat, quanquàm ſummo Deo ſubjectum & ſubordinatum. Nùm igitur Diabolus etiàm inter Deos tuos ſubordinatos numerandus eſt, et, ut apud Indos, nè noceat, inferiori neſcio quo, vel infernali, cultu honorandus?

Scripſi me nolle Valentini Gentilis, nec non Curcillæi, plures Deos ſubordinatos introducentis, & tecum tàm delirum errorem ſanctiſſimis doctiſſimiſque Patribus affricantis camarinam movere. Reſpondes quaſi malè tibi conſcius cum ſtomacho, „ Debueras igitur illam (Juſtini & Tatiani ſcil.) de „ duobus ignibus ſimilitudinem Emi pallio texiſſe. Sed pace tuâ V. D. illis Patribus pallio hanc ob rem opus non eſt, ſed tibi potiùs qui ſub Arij pallio Ethniciſmum, Anti-Chriſtianiſmum & Gentilium Polytheian in Chriſtianum orbem invehere, ſaltem excuſare, ſatagis, & ſacrilegum hunc errorem antiquis Patribus adeò inviſum eiſdem aliquà ſaltem ex parte imputare minimè erubeſcis, ut ſuprà vidimus. Similitudo illa duorum ignium nihil in ſe habet pudendum aut pallio dignum. Ex illâ enim S. Patres tantùm adumbrare aliquatenùs voluère, inenarrabilem Filij ex Patre, idq; ab æterno, ſine ullâ ſui diminutione, generationem. Non quaſi Filius eſſet (quod & Curcillæus diſſitetur) à Patre diviſus, aut loco ut duo ignes ſeparatus. Nôrunt enim literati ſimilitudinem omnem ſuam ſecum vehere diſſimilitudinem; quo magis miror te eam ſolam ob cauſam neſcio quid pudendum S. Juſtino, nec non Tatiano, improperare.

Illa Juſtini commemorans, Verùm hunc ipſum (h. e. Patrem) Filium & Spiritum S. colimus & adoramus; interpoſui de meo in diverſo charactere, *Pari ratione*. Nec ſine ratione. Juſtinus ſe cùm Chriſtianis (quos unum ſolùm Deum adorare profitetur) Patrem & Filium & Spiritum S. (quem inter Deos tuos ſubordinatos locum capeſſere opinor permittes) indiſcriminatim colere & adorare aſſerit. Quidni igitur mihi non licitum eſſe putarem, *pari ratione* addere? Ubi lex non diſtinguit diſtinguendum nobis non eſt.

Addidi. Hanc Juſtini Doxologiam parùm convenire cum Arianorum Doxologiâ, ſcil. Gloria Patri in Filio per Spiritum

tum S. Reſpondes, „ Non quidèm cum Doxologiâ, ſed cum „ praxi Arianorum. Miror. Nùm igitur Arianorum praxis Doxologiæ eorum non convenit? Nonne Doxologia Dei glorificatio eſt, et Dei glorificatio praxis? Fortaſsè illud vis, Arianorum praxis eſt cum Maximino Patri, Filio & Spiritui S. paritèr & indiſcriminatìm gloriam divini cultûs offerre; in Doxologiâ verò inter eos quoad adorationem diſtinguere & in ſummo cultu gradus conſtituere. Quæ hæc nova Arianorum contradictio eſt?

Ex loco Iſaiæ à Juſtino laudato, *Generationem ejus quis enarrabit?* In Arianos ità differui. Redigam tibi in formam Syllogiſmi, nè operam fruſtrà inſumas. Generatio quæ verè Chriſto competìt & eidem à Propheta adſcribitur eſt inenarrabilis, qualis eſt (ut Catholici interpretantur) generatio Filij ex Dei Patris ſubſtantiâ. Sed generatio quam Ariani Chriſto adſcribunt, ſcil. creari ut alias omnes creaturas Dei potentiâ ex nihilo non eſt inenarrabilis; Ergo non eſt ea generatio quæ Chriſto juxta Scripturam competit & adſcribenda eſt. Arianorum æquivocationes in voce generationis necnon tergiverſationes prudentèr admodùm ſilentio ſupprimis. De ijs alibi agemus.

Tecum familiariùs agens rogavi ut apertè nos doceres, utrùm Chriſtus ſit ſecundùm divinam ejus naturam proprio ſenſu Angelus. Reſpondes, „ Ego quem Scriptura Angelum „ vocat ſimplicitate fidei contentus Angelum dico & credo. Rectè. Utinam ità in cæteris omnibus: Sed reſponſio hæc neutiquàm quæſtioni propoſitæ ſatisfacit. Iterùm quæro an *propriè* Angelum eſſe credas, aut Scripturam ullibi docere eſſe eum propriè Angelum? Angelum eſſe aliquo ſenſu quis dubitat? Imò, quanquàm diſſimules, Chriſtum propriè, juxtà divinam, ut puto, naturam, Angelum eſſe credis: Addis enim, „ Et ſi ſecundùm divinam naturam non eſſet propriè „ angelus, quod officij nomen eſt, impropriè itaq; in Veteri „ Teſtamento miſſus fuiſſet, impropriè voluntatem Dei ho„ minibus annunciâſſet.

Mirari ſatìs haud poſſum V. D. quid te commovit tàm fragilem cymbam pelago committere. Id volo; te tàm elumbi argumento Chriſti Domini Creatoris & Judicis tui æternam increatamq; Majeſtatem in creaturam & Angelum convertere. Ità argumentaris. Qui propriè à Deo miſſus eſt & propriè voluntatem Dei hominibus annunciavit is propriè Angelus eſt, cùm Angelus officij nomen ſit. Chriſtus ſecundùm divinam naturam in V. Teſtamento ità miſſus &c. Ergo propriè

priè Angelus eſt. Eodem argumento probare poſſes Prophetam Malachiam fuiſſe (ut nonnulli perperàm opinati ſunt) propriè Angelum, imò, et Joannem Baptiſtam, qui ab eodem Propheta diſertè & ῥητῶς Angelus appellatur, *Ecce mitto Angelum meum* &c. Uterq; propriè à Deo miſſus eſt & Dei voluntatem hominibus annunciavit. Quid quod Spiritus S. in V. Teſtamento etiàm à Deo miſſus eſt & Dei voluntatem hominibus annunciavit, Nùm Spiritus S. etiàm tibi inter Paradoxa quibus ſcates propriè Angelus eſt? Vide, obſecro, quid indè ſequitur, ſcil. S. Juſtinum & Chriſtianos ſui ſeculi (quod apertè negat) cum Patre creaturas, i. e. Angelos contrà Pauli monitum Col. 2. coluiſſe & adorâſſe. Nonne conſcientiæ morſum perſentiſcis, dùm hunc in modum optimis Chriſti ſervis calumniaris? Hoccine te Semum an Chamum arguit? Memineris obſecro argumentorum tuorum quibus Socinianos in Arianos convertere ſatagis, & tecum cogita quàm mitem Judicem Chriſtum, niſi reſipueris, experturus es.

Nec Minor Syllogiſmi tui firma eſt. Chriſtus enim neutiquàm in V. Teſtamento ſecundùm divinam ejus naturam, quæ omnipræſens eſt, miſſus erat, ſed juxta viſibilem, ſive carneam, ſive corpoream, figuram, ad tempus aſſumptam. Mitti enim nihil aliud eſt quàm viſibili modo apparere. Putaſne divinam Chriſti naturam, licet propriè Angelicam ſupponas, eſſe per ſe humanis oculis viſibilem? Haud opinor. Alia igitur divinæ Chriſti naturæ, alia tegminis, ut habet Arnobius, ratio. His addis, „ Verba allegata ex Epiſt. ad Diognetum, non „ eſſe Juſtini, qui in Dial. cum Tryphone Filium & Mini„ ſtrum & Angelum vocat. Rectè: Sed non ait eſſe propriè Angelum, magis quàm *lapidem*, *virgam*, *florem*, &c. Si Epiſtola illa Juſtini non ſit (de quo quæritur) ſi modò ante Concilium Nicænum ſcripta fuerit, perindè mihi eſt. Tu contrarium nec aſſeris nec probas. Nec eſt quod abſonum à ratione ulli videatur Regem Filium ſuum tanquàm legatum mittere; num indè conſequitur non eſſe Patri ſuo eſſentiâ æqualem? Omnia quæ S. Juſtinum ſpectant dilemmate conſtringam. Aut Juſtinus Patrem & Filium ejuſdem ſaltèm ſpecie eſſentiæ eſſe credidit aut non. Si credidit, omninò ſequitur eum etiàm credidiſſe Filium non eſſe creaturam; creatura enim & Deus ſeu Creator ejuſdem ſpeciei eſſe non poſſunt. Si non credidit, quo pacto illa concilies, Nuclei pag. 139? Puto Arium ὁμοούσιον (h. e. cum Patre, ut præcedentia verba arguunt) non numericè ſed ſpecificè intellectum, de Filio & Spiritu S. non negâſſe.

Tranſeamus

Transeamus ad Athenagoram, cujus verba à me allegata Arium, uti fateris, macerarent, nisi (quod σαφὲς φάρμακον est) locum esse corruptum constaret. Concedis interim eundem Athenagoræ cum Justino & Tatiano sensum esse; nimirùm, Patrem & Filium esse ejusdem essentiæ: undè intuli, Non eadem Athenagoram, quæ postmodùm Arius, docuisse, quod suprà asseris. Respondes „ Me falli à dicto secundùm „ quid ad dictum simpliciter. Justinus & Tatianus non in eo „ cum Ario sentiunt, quod statuunt Verbum & Patrem unius „ essentiæ specie, sed in inæqualitate graduum in Trinitate „ cum Ario sentiunt.

Hîc duo imprimis notanda occurrunt, 1°, Justinum & Tatianum statuere Verbum & Patrem esse *unius specie essentiæ. Arium autem eâ in re ab ijs dissentire.* 2°, Justinum & Tatianum cum Ario inæqualitatem graduum in Trinitate statuere. Judicet æquus quisq; Lector an non ex priore rectissimè concluserim, Patres non eadem quæ post Arius statuisse. Sed replicas, me falli à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, i. e. Arium in aliquibus idem cum Justino & Tatiano sensisse, ergo in omnibus. His respondeo, me nunquàm sensisse Arium in omnibus vel cum Justino & Tatiano consensisse, vel ab ijs dissensisse. Benè novi Arium, hæreticum licèt in Trinitatis articulo, fuisse Christianum, et in nonnullis Orthodoxum. Cùm igitur asseras Patres etiàm omnes (saltèm quarto seculo) eadem quæ Arius credidisse & tradidisse, nec ex eorum Scriptis aliquid contra Arianos præstari posse, sed eandem cum Ario doctrinam (i. e. circa Christi Deitatem) liberè prædicasse & Scriptam edidisse, quid aliud expectare potuerunt Lectores tui (ipsos appello) quàm totius Arianismi, h. ç. omnium quæ ad Arij hæresin propriè spectant eamq; constituunt, ex Patrum Scriptis confirmationem? Jàm fateris Justinum & Tatianum (ut de Athenagorâ taceam) contra Arium docuisse, Verbum & Patrem esse unius specie essentiæ, et eâ in re Arium contrarium statuisse. Nonnè vides, nonnè persentiscis Patres non eadem cum Ario docuisse, et aliquid saltèm ex Scriptis antiquorum Patrum contra Arianos (h. e. eorum propriam hæresin) præstari posse, scil. Patrē & Filiū esse unius specie saltèm essentiæ? Quod ad posterius de inæqualitate graduum in Trinitate attinet, haud ignoras nonnullam inæqualitatē (licèt minimè gradualem) in Trinitate ab Anti-Arianis neutiquam negari, nec in eo controversiam versari, inæqualitatem intelligo purè relativam & personalem: Pater *quâ Pater* Filio *ut Filio* major est, ut Alexander Episcopus Alexandrinus Ario

in

in initio funesti hujus certaminis liberè concessit. Quem in sensum Patres quamplurimi à me memorati verba illa Christi interpretati sunt, scil. *Pater me major est.* Negatur tamen inæqualitas seu diversitas essentiæ aut substantiæ inter Patrem & Filium, quæ utriq; communis, imò eadem, idq; numericè, in utroq; est. Tyrones ipsi in Logicâ nôrunt nullam substantiam creatam vel increatam gradus admittere posse, seu magis & minus. Hæc clara satis & indubitata sunt. Qui proprie Dei Filius existit, ex ejus substantiâ genitus est; Qui ex Dei substantiâ genitus est, cùm indivisibilis sit, licèt inferior ut Filius Patre, æquè Deus meritò reputatur, cùm ejusdem cum Patre essentiæ, quæ indivisibilis utrinq; agnoscitur, in totum et in solidum particeps evaserit, ac proinde inter Patrem & Filium summa æqualitas & contra Arium ἀνομοιία necessariò agnoscenda est. Si igitur, quod fateris, Justinus, Tatianus, Athenagoras cum Lactantio aliisq; contra Arium censuère Patrem & Filium esse ejusdem specie essentiæ participes, planè sequitur eos esse, quod infrà concedis, ὁμοουσίους, nec non συναΐδιους et ἰσοτίμους, quod Arius negavit. Quod verò subdis, Athenagoram contra mentem Justini unam Patris & Filij hypostasin statuere, gratis à te dictum videtur nisi ejus diserta verba retuleris. Quisquamnè sanæ mentis crediderit Patrem ejusq; Filium esse posse unam eandemq; personam? Sed tu nihil moraris sanctissimis doctissimisq; Ecclesiæ Christi Patribus quidlibet, indoctum licèt, insultum, summè contradictorium & blasphemum in Arianorum tuorum gratiam adscribere. Perpende obsecro quæ scribit Athenagoras, „ Omnis sermo noster Deum unum celebrat conditorem uni„ versitatis.—Hunc unum prædicamus Deum. Quin & Dei „ Filium mente complectimur— Filius in Patre & Pater in „ Filio.—Hic Dei Filius primigenia Patris progenies est.— „ Deum Patrem prædicamus & Deum Filium &c. Ut vobis „ (Antonino nimirùm Imperatori & Commodo ejus Filio) „ Patri & Filio in potestate sunt omnia.— Sic uni Deo & Fi„ lio ejus, h. e. Verbo inseparabili omnia subjecta sunt. Athenagoram igitur contra Justini mentem unam Patris & Filij hypostasin statuere vanissima calumnia est nullâ ratione subnixa, qui de Patre & Filio ut personis distinctis tractare clarissimum est.

Sub Irenæo tantùm notas me scribere te Eusebium Cæsariensem Arianum dicere, neutiquàm probare. Regeris, Jam pridèm id probavi in Nucleo meo. Probâsti sanè sed nondùm evicisti. Multa sunt quæ contrarium probant, i. e. Scripta

ipsius

ipſius Euſebij. Ubi Filij τὸ συναΐδιον paſsim probat. Vide præſertim Demonſtr. lib. 4. cap. 2. & 3. necnon lib. 5. cap. 2. Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 1. & 2. Orat. de laud. Conſtantini. Conſule Athanaſium in Epiſt. de Syn. Nicæ. Socratem Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 5. lib. 2. cap 7. Sozomen lib. 1. cap. 12. cum alijs. Non auſim igitur ego Euſebium Cæſar. Arianum pronunciare. Mihi placet hâc in re ἐπέχειν. Miror adhuc quòd levi adeò pede Irenæum tranſilis, quaſi nihil apud eum occurreret quod Arium feriat. Præſertim illa, „ Non in„ fectus es homo, neque ſemper cum Deo coexiſtebas ut „ ejus Verbum. Ubi duo ſummè animadvertenda habemus, 1°. Verbum eſſe infectũ ſeu non factum & creatum. 2°. Semper non tantùm *in Deo* fuiſſe, ſed *cum Deo* ut *perſonam diſtinctam coexti-tiſſe*, imò, non tantùm ante mundi creationem, aut ante tempora ſecularia, ſed *ſemper* cum *Deo coextitiſſe*, quæ Arij hæreſin confodiunt, Arianorumq; effugia & æquivocationes tollunt.

Nec hæc iterùm notaveram niſi quòd in calce Epiſtolæ hujus ſcripſeris, Te nihil diſſimulâſſe, nihil quod in Libro meo aliquâ ratione difficile ſenſiſti præterijſſe, nihil, niſi quod leve erat, neglexiſſe. Profectò hæc Sancti Irenæi verba minimè levia habenda ſunt, quibus non aliud dediſti reſponſum quam, Utinàm nobis Græcus Irenæus ſuperſtes eſſet. Utinam ſane! Theophili Antiocheni verba, λόγον *fuiſſe ante hæc univerſa* aut *mundum*; expoſui, ſcil. ab æterno; quià quod ante mundi creationem & jacta mundi fundamenta eſſe dicitur apud Scripturam æternum audit, h. e. ſimplicitèr & abſolute, non æviternum, ſed ſempiternum, ut ex Pſal. 90. Mat. 25. Eph. 1. probatum dedi. Regeris non de ſenſu Scripturæ ſed Theophili quæſtionem eſſe. Sed oro te V. D. cur mihi non liceat verba Theophili, cùm eadem ſint cum ijs quæ in Scripturâ inveniantur, in eundem ſenſum quem ferre poſſunt, neutiquàm ſane reſpuunt, interpretari? Præſertim cum alij Patrum, Athenagoras, Irenæus cum Theophilo ex ipſo illo Solomonis, de quo Ariani tantopere gloriabantur, loco, Prov. 8.22. colligunt Chriſtum æternum fuiſſe & ſemper cum Patre coextitiſſe, eò quòd ante colles, ante jacta terræ fundamenta vel ante hæc univerſa ſuam habuit tanquàm filiolum (h. e. perſonam, non ſolùm rem) apud Patrem exiſtentiam, Prov. 8.20. & 23. Fruſtrà igitur omninò reſpondes illo ſenſu Arianos docuiſſe Filium fuiſſe ab æterno, ſcil. quià ante hæc univerſa ſecundùm eos factus eſt. Licèt enim aliquo, non tamen eodem, ſenſu æternum agnovêre quo Pater juxta Pſal. 90. 2. æternus celebratur, aut electio æterna agnoſcitur Mat. 25. Eph.

Eph. 1. Nec ego ex eo tantùm collegi Theophilum esse orthodoxum, quia scripsit, Verbum ante hæc universa genitum (non factum) esse; sed quia verba illa sensu tùm Scripturæ tùm Patribus usitatissimo intellexit, cùm disertè asserat Verbum & Dei Filium διὰ παντὸς semper in *corde Patris extitisse*. Sanè qui semper seu perpetuò ut Filius in corde Patris subsistebat, nullo modo paulò ante mundi creationem ex nihilo factus est, ut Ariani docebant, sed absolutè ab æterno erat, nec erat quando non erat, quià semper erat διὰ παντὸς. Rationem addidi, Quis enim nisi ineptus plane & blasphemus tempus aliquod vel imaginarium somniaverit quo Deus sapientiâ suâ, λόγῳ seu ratione caruerit &c? Quæ ratio, quicquid in contrarium objicis, mea non est, sed Patrum, Athenagoræ, Origenis, Tertulliani, aliorumque. Si apodictica non sit, certissimè probat Patres, si non demonstrâsse, credidisse tamen absolutam, ut vocas, Filij Dei seu λόγου, æternitatem; quod mihi satis est. Respondes, „ Nihil obstat si Ariani ità arbi„ trati sunt, quorum multi non fuère inepti aut sibi blasphe„ mi. Quorsùm hæc? nisi omnes hæreticos cum Arianis excusandos putes? Quis enim unquàm hæreticus, dùm talis, sibi vel ineptus vel blasphemus visus est? Si vel mediocrem ergà doctissimum Theophilum reverentiam præstitisses, neutiquàm credere potuisses eum ineptum adeo, blasphemum, imò amentem fuisse, quicquid Ariani arbitrati sunt, ut crederet Deum momento ullo ἄλογον fuisse aut esse potuisse. Nec ego Theophilum minimè errasse puto quia Episcopus erat Antiochenus, quod frivolum est; aut quià nunquàm ab Ecclesiâ aut Eusebio ut hæreticus notatus sit, sed quià Verbum quod *Dei Filium* esse agnoscit διὰ παντὸς semper fuisse in corde Patris sui apertè profitetur. Argumentum meum nè tibi frustrà molestiam crees in syllogismi formam constringam. Verbum seu Dei Filius est ipsa mens, ratio seu λόγος Dei Patris, Sed Dei Filius non ab æterno subsitit, sed postea creatus est; Ergo, Ratio seu mens Dei ex nihilo creata est, et consequenter aliquando in Deo non erat. Major Athenagoræ, Tertulliani aliorumq; est. Minor Arianorum.

Quod verò respondes Arianos docuisse Christũ esse Dei λόγον, sed abusivè dictum; reverà (ut vulgo dicitur) abusivè, h.e. falsò & blasphemè, dictum est. Num Christus etiàm à Joanne Evangelistâ λόγος abusivè dictus est? Cap. 1. v. 1, &c. Quæ verba de subsistente λόγῳ seu personali, non essentiali Dei sapientiâ seu ratione intelligi debere ipse statim cum Arianis tuis infrà fa-

teris. *In principio erat λόγος Verbum* (qui posteà caro factus est) *et erat apud Deum et Deus erat.* Nonne Dei nomen personam apertissimè designat? Sed inquis, Si λόγος ἐνδιάθετος, h. e. sapientia Dei essentialis & ὑποστατικὸς seu subsistens diversa sint, quâ ratione ex æternitate absolutâ prioris concludi potest æternitas absoluta posterioris? Ego quidem me quæstioni huic respondere obstrictum neutiquàm censeo. Quære de Patribus, quorum verba quod Historici partes agenti satis est fidelitèr retuli. Undè clarissimè sequitur eos saltem credidisse Christum Dei Filium fuisse æquè ac ejus rationem seu sapientiam absolutè & simpliciter æternam, contra Arianorum hypothesin. Tantùm addam, „ Nullum unquàm Christianum du„ bitâsse essentialem Dei sapientiam λόγον seu rationem fuisse „ summo sensu æternam. Fruſtrà igitur eâ in re probandâ doctissimi Patres operam suam studiosè adeò impendissent. De Christo Dei Filio ut λόγῳ ὑποστατικῷ seu personali apertissimè agunt, ut ejus ab omni retrò æternitate apud Deum coexistentiam & coæternitatem statuminarent. Quòd ad Augustinum attinet ejus verba infrà in examen revocabimus.

Scripsi λόγον apud Joannem Cap. 1. non esse ἐνδιάθετον, h. e. rationem seu sapientiam Dei essentialem, quod Sabellij & Patripassianorum hæresin inferret, sed personalem & ὑποστατικὸν. Quibus addidi, Nos λόγον ἐνδιάθετον Dei Patris non tantùm ut rem aut qualitatem in Deo quasi inhærentem, sed ut personam à Patre distinctam concipimus. Reponis, me verbis hisce mihimet ipsi contradicere, quod minimè constat. Quid enim obstat quo minùs Christum Dei Verbum & Filium qui in Patre seu sinu Patris est, λόγον ἐνδιάθετον cum Theophilo appellarem? nè verò indè ansam arriperes ea quæ benè dicta sunt malè interpretandi, sensum meum explicui in hæc verba: λόγον ἐνδιάθετον non tantùm ut rem aut qualitatem instar attributi in Deo concipimus sed ut distinctam personam. ἐνδιάθετον ergo λόγον neutiquàm λόγῳ ὑποστατικῷ seu subsistenti, sed προφορικῷ seu exteriùs prolato & vocali opposui, ut Candidus Lector facilè perspiciet. Pergis. Quando distinguis Filium à λόγῳ essentiali (nonne tu ipse etiàm supra distinguis? Turpe est doctori &c.) loqueris contra Patres qui cum Ignatio Filium vocant λόγον ἐσσιώδη seu essentialem. His respondeo, Patres Verbum Dei seu λόγον ἐνυπόστατον personam, non (ut Marcellus cum Sabellio docuit) ἀνυπόστατον, credidisse certissimum est; ut ex Justino, Irenæo, Athenagorâ, Tertulliano, &c. liquet. Ignatius autem cùm Filium λόγον ἐσσιώδη appellat,

pellat, neutiquàm negat esse Hypostasin seu personam, sed λόγον, ut ait, ῥητὸν, h.e. Verbum vocale tantùm & prolatitium, ut locus iste quem indicas apertissimè evincit. Ità enim sonat, Ὃς ἔστιν αὐτοῦ λόγος οὐ ῥητὸς ἀλλ' οὐσιώδης οὐ γὰρ ἔστι λαλιᾶς ἀνάρθρου φώνημα &c. Quid clarius?

In verbis autèm immediatè subsequentibus tibimet ipsi splendidè satis contradicis. Quærebam ego utrum λόγος ἐνδιάθετος Arianorum seu sapientia Dei essentialis à Deo, ut Filius propriè dictus, generata sit, aut in mundum missa ut assumptâ carne pro nobis mortem oppeteret. Respondes, „ Neutiquàm: non λόγος ἐνδιάθετος Arianorum, sed sapien-„ tia Dei essentialis, quæ, inquis, tu hic contra antiquorum „ sensum confundere videris. Secundùm te igitur sapientia Dei essentialis à Deo generata est ut proprius ejus Filius (Quot igitur Deo Filios ultra quaternitatem assignaveris? Num justitia, potentia, cæteraq; Dei attributa ejus Filij sunt, et in mundum missa ut carnem assumerent?) Nonne hoc ipsum supra cum Arianis disertè negas, cùm dicas Arianos contra Sabellium initium Evangelij Joannis exponere non de λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, sed subsistente? Dein, clarissimum est me ubiq; non tàm confundere quàm distinguere (licèt minimè separem aut divellam) inter λόγον ἐνδιάθετον et subsistentem. Hinc illa tua in me missa, Cùm itaq; diversa sint, etiàm secundùm teipsum, λόγος ἐνδιάθετος et subsistens, quâ ratione ex absolutâ æternitate prioris &c. Jàm ais me utrumq; contra Patres confundere. Ego quidèm cum Ignatio Filium Dei λόγον οὐσιώδη non tantùm ῥητὸν agnosco, nec tamen ullo modo diffiteor esse ὑποστατικὸν, h. e. personam à Patre distinctam; quæ duo inter se optimè conveniunt, cùm persona substantia sit. Illa verò tua, quantùm video, planè ἀσύστατα sunt. Non λόγος ἐνδιάθετος Arianorum sed sapientia Dei essentialis. Nonne sapientia Dei essentialis ipse ille est Arianorum λόγος ἐνδιάθετος? Num creatura ulla, nùm Angelus propriè sic dictus paulò ante mundum (quod de Christo asseris) creatus Dei λόγος ἐνδιάθετος est & Consiliarius Hypothetica illa propositio, Hæc si vera esse negaveris &c. utrumq; spectat. Sed de Theophilo Antio. quem nonnulli Arianæ sententiæ aliquatenus accessisse autumant, hæc hactenùs.

Haud immeritò (cùm ingenuè fatear maximum sententiæ meæ firmamentum sit (submonui te mutum transire Christum à Clemente Alex. æternum, omniscium, omnipotentem, omnipræsentem prædicari. Undè invictè contra Arianos sequitur eundem esse non nomine tantùm te-

nùs aut gratiâ, ſed ſubſtantiâ & eſſentiâ Deum cum Patre unum, non modò voluntatis conſenſu ſed ſubſtantiæ identitate, cùm hæ maximè propriæ & intimæ naturæ divinæ proprietates ſint, creaturæ ulli omninò incommunicabiles. Reſpondes (quaſi ea quæ ex Clemente collegi nunquàm vidiſſes) te nullibi invenire Chriſtum prædicari immenſum vel abſolutè æternum. Itane? Vide obſecro Protrept. pag. 68. Pædag. lib. 1. cap. 5. Strom. 7. pag. 703. & 711. Nonne qui per univerſam terram diffunditur, ubiq; eſt, nec tranſit è loco in locum, immenſus eſt? Nullibi invenis Chriſtum æternum prædicari? Conſule Protrepticon ubi tèr æternum eſſe palàm Clemens profitetur. Verba habes in Hypotyp. pag. 50. et alibi pag. 92, & 57. ſimilia occurrunt. Sed his regeris, Clementem minimè Chriſtum prædicare *abſolutè* æternum. Abſolutè? Nùm Clementem unum eſſe reputas è recentioribus Scholaſticis? Nùm Patrem ullibi abſolutè æternum prædicat? Minimè. Ideone colliges Clementem inferiorem neſcio quam eidem æviternitatem Porphyrianam adſcribere? Subdidi, De æterno non ſine blaſphemiâ dici, erat quando non erat. Subſumo, inquis, Terra ſecundùm ſacram Scripturam eſt æterna, Ergo, de terra non dicitur &c. Belle! Nonne eodem effugio & omnia tùm Scripturæ tùm Patrum loca Patris æternitatem teſtantia evitare poſſes? Supponamus Vorſtianum vel ſimilem aliquem Dei Patris æternitatem inficiari; Nonne hunc locis ex S. Scripturâ nec non Patribus adductis, ubi æternus prædicatur, refutares? Sed in promptu habet quod te Doctore reſpondeat, minimè abſolute æternum dici, imò, terram æternam prædicari. Quod huic reſponderes tibimetipſi reſpondeas.

De omnipotentiâ, inquis, nihil habes clarius quàm in Scripturâ ipſâ quam Ariani recipiebant. Rectè. Ergo clariſſima tùm Scripturæ tum Patrum verba apud Arianos nihil aut parùm valent. Vides quanti ſit Scripturæ verba abſq; vero & catholico ſenſu recipere. Nonne Sociniani cum omnibus hæreticis æquè ac Ariani Scripturam recipiebant? Concluſio quæ ex verbis tuis ſequitur hæc eſt; Scripturam clariſſimam licèt, nihil valere ad convincendos pertinaces hæreticos. Quorſùm igitùr tu ut regulam fidei perfectam adeò commendas & probare niteris? Sed addis, Ariani ſtatuebant Chriſti omnipotentiam donatam eſſe, *poteſtatem omnem datam in cœlo & in terra.* Sed pace tuâ V. D. Poteſtas ſeu authoritas & potentia idem non ſunt. Nego omnipotentiam poſſe creaturæ ulli donari, nè à Deo quidem; qui ut creaturam Deum alium facere nequit,

quit, ità nec omnipotentem. Imò, poteſtas mediatoria in omnia Chriſto donata adminiſtrari non poteſt ſine omnipotentiâ omnipræſentiâ & omniſcientiâ, ſcil. Eccleſiam ab inimicis ejus defendere, mortuos omnes reſuſcitare, & unicuique hominum ſecundùm opera ſua ultimo judicio reddere; cqm alijs quæ jàm mitto.

De omniſcientiâ, inquis, Chriſti uteris conſequentijs quæ fallibiles ſunt quando de ſententijs Autorum quæſtio eſt. Sed obſecro te, V. D. Nùm tibi ſoli liceat uti conſequentijs in eruendis Autorum ſententijs? Nonne & tu uteris conſequentijs? Nùm conſequentiæ tuæ magis infallibiles ſunt quàm meæ? Conſequentiæ nonnullæ (quicquid ex Sociniamis opponis) quanquam non infallibilis, certiſſimæ & evidentiſſimæ veritatis eſſe poſſunt, aliàs Scripturam fruſtrà magnà ex parte ſcrutaremur. Quanquàm reverà hâc in causâ non tàm ego conſequentijs quàm conceptis S. Clementis aliorumq; Patrum verbis Chriſtum omniſcium, omnipotentem, immenſum, æternum probavi. Hic labor meus, hoc opus.

Tandem haud pudet te ſuggerere Patres cùm laudes Chriſto debitas contra Gentiles & Judæos perſolvant, multa exaggeratoriè (h.e. falſò & hyperbolicè) dicere. „ Quemadmodum „ inquis, Patres diſputantes contra Sabellianos ἀμετρείαν τῆς „ ἀνδολικῆς nonnulli dicunt incidiſſe in Arianiſmum, uti de Dionyſio Alex. Athanaſius. Utinam V. D. cùm Ariani non velis deponere, Chriſtiani ſaltèm perſonam retineres. Piget ſanè me in hiſce refutandis morari adeò blaſphemiæ vicina ſunt. Hic reſpondendi modus deſperatam cauſam argnit. Pergamus. Nolo enim hæc invidioſè exaggerare.

Scripſi, Quis inficiabitur vel hominis cujuſq; Filium quoad naturam ſeu eſſentiam humanam rectiſſime exæquari (quod Clemens de Dei Filio aſſerit) Patri ſuo. Reponis, „ Imò, „ quis non inficiabitur Delphinum eſſe æqualem Regi Galliæ? „ Nàm ratione ſubſtantiæ æqualitas locum non habet. Imò verò inquam ego, quis niſi amens inficiaretur Delphinum eſſe animal ratione præditum æquè ac Patrem? Quàm vellem te Regem Galliæ percontari annon Delphinum Filium ſuum hominem genuerit (non piſcem) ejuſdem ſecum humanæ naturæ ex æquo particìpem. Putaſne te evaſurum dicendo ratione ſubſtantiæ æqualitatem locum non habere? Malè metuo.

Cùm reſponderes Gentilibus quos compellat Clemens in Protreptico ſuo nunquàm in mentem veniſſe Filium, h. e. Chriſtum ſtatuere Patri ſuo æqualem & coævum; repoſui,

Ita

Ità fortaſſe; ſed Clementi ſæpiùs, nullus dubito, in mentem venit. His regeris, Quòd Gentilibus contra quos diſputat id in mentem veniſſe debuerat ſi rectè diſputare dicendus ſit. Hoc eſt, opinor, quod velles. Clementem neutiquàm rectè contra Gentiles diſputâſſe, niſi priùs ijs in mentem veniſſet credere Chriſtum eſſe Dei Filium ei æqualem & coævum; quod quid aliud eſt quàm contra fideles aut Chriſti fide imbutos, non contra Gentiles & Infideles, diſputare? Nonne vides contradictionem in adjecto? Auſim dicere ſi hæc vera ſint, nullus unquàm Patrum rectè contra Gentiles diſputavit. Imò verò obſecro te quem in finem contra eos diſputarent, qui idem cum diſputantibus apud animum ſuum jàm ſtatuebant? Dein, videris minùs advertere Clementem in Protreptico ſuo non tàm contra Gentiles diſputare quàm eos Chriſtianæ hâc in re fidei adhuc ignaros docere, inſtruere & ſuadere. Hoc in libro Paræneticum agit, non Polemicum, Catechiſtæ officio fungitur, non diſputantis.

Addis, me compellans, „Suppone te Judæo, vel Ethnico „ perſuadere velle Chriſtum eſſe coæqualem & coæternum „ Patri ex hâc ratione quià Chriſtus eſt Dei Filius, an ſic cre„ dis te minùs malè diſputaturum contra Ethnicum vel Ju„ dæum, quàm ſi illos ex S. Scripturis erroris convincere ve„ lis? Nonnè dicerent, quia Filius & minor & junior eſt, „ licèt & id ipſum negemus quòd Filius ſit.

Quid hæc ad cauſam de quâ agitur ſpectant nullus video: vel ſupponis Judæum illum aut Gentilem credere Chriſtum eſſe Dei Filium, vel non. Si non credat, juxta te, ſi perſuaderem malè diſputarem: ſi jàm credat, fruſtrà. Nolo igitur cum ijs rem habere. Hæc ad hominem, jàm ad rem. Fateor Filium hominis eſſe dignitate minorem & tempore juniorem Patre ſuo. Judæum verò vel Gentilem monerem aliam eſſe rationem Filij Dei & hominis: qui enim propriè Dei Filius eſt (Filium autem Deum poſſe habere Ethnico exemplo Jovis ſui, Judæo ex Veteri Teſtamento perſuaſum darem) is eſſentiæ divinæ, idq; totius & ejuſdem cùm indiviſibilis ſit particeps eſt; qui verò ejuſdem indiviſæ eſſentiæ ut Filius particeps eſt, is ratione dictante Patri conſubſtantialis & æqualis, ſcil. ratione naturæ, rectiſſimè audit, ac proindè coæternus agnoſcitur & æquali honore afficiendus. Concludis in hunc modum, „ Quià mihi perſuaſum eſt Clementem rectè contra „ Ethnicos (Chriſtianos aut Fideles potiùs dixiſſes) diſputâſſe, „ ideò locum corruptum credo. Optimè. Eâdem ratione ullum alium in Clemente locum corruptum, ſaltem ſi quicquam

contra

contra Arianos faciat, esse statuas: sed, ut in initio habes, in durum nodum convenit durus cuneus.

IHa Clementis, „ Filî & Pater ἓν, unum ambo, exponis de „ solo Christo Filio Dei & Patre hominum, vel Filio hominis „ & Patre hominum; aliàs necesse est, inquis, ut Clementem „ Sabelliarissimi incuses. Minimè gentium; Sabellij enim hæresis erat, ut ex Epiphanio & Augustino didicimus, Patrem esse Filium seu eandem personam ἕνα, non autem Patrem & Filium esse ambo ἕν, idem seu unum naturâ & substantiâ Deum.

Dein, Si Clemens de solo Christo vel unâ personâ loqueretur quorsum ἄμφω addidit? De singulari personâ ἄμφω ambo haud puto rectè dici. In eundem sensum ipse Dominus Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum*, non unus, sumus. NumEgo (Filius) & Pater una eademq; persona ullo modo esse possunt? Sabellium & Samosatenum Patrem & Filium unum esse Deum falsò & hæreticè docuisse, vel hoc Epiphanio aut Augustino hæresin videri inter paradoxa tua reponenda esse existimo. Refutationem vix merentur. Consulas oro Epiphanium Hær. 62. & Augustinum Hær. 41.

Confirmare niteris sententiam tuam ex verbis præcedentibus. Placare tuis O Pædagoge (Christe) liberis. Pater auriga Israelis, Filî & Pater unum ambo. Quasi ullo modo necesse esset illa, *Pater auriga Israelis*, ad Christum & non potiùs ad Patrem referre? præsertim cùm alibi Clemens in eodem libro in hunc modum scripserit, *Nihil odio habet Deus, sed neq; Verbum*, ἓν δ' ἄμφω θεὸς, i. e. utrumq; unum est, nempè Deus; dicit enim, *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*, ambo igitur idem sunt, h. e. idem Deus.

Addis, „ Si duas personas alloquatur quid hic locus plus „ conferret contra Arianos quàm Joan. 10. 30. Ego sanè puto nullum Scripturæ locum, clarissimum licèt, multùm conferre contra pervicaces hæreticos, qui φιλαυτίᾳ & ὀἰήσει obcæcantur. Alijs interìm haud minùs doctis & perspicacibus, sed sensum suum Scripturæ submittentibus pronâq; humilitate captivantibus plurimùm confert.

Quæris, cur non allegas igitur contra Arianos? Respondeo, quia institutum mihi erat non tàm Scripturæ quàm Sanctorum Patrum testimonijs Arianorum sententiam refellere; nec satis certus fui Clementem locum illum allegare.

In illa Christo à Clemente attributa τὸν ἄχρονον καὶ ἀνεπέκτατον ἀρχὴν animadvertens, ais, ἄχρονον fortè dicerent Ariani. Ità fortassè, i. e. ratione temporis quod cum creatione cœpit, non

non illius quod longè præcessisse mente concipimus. Erat quando non erat, juxta eos ἄχρονον. Sed quid illa sibi volunt? ἄναρχον ἀρχὴ, nisi ad principium aliquod durationis haud propriè temporalis referas? Patrem enim esse Filij sui ἀρχὴν quis nescit? aut putet Clementem ignorâsse? Deindè vellicas quòd πρεσβύτερον γενέσει, vetustius generatione (h.e. temporali) vel creatione vertam. Cùm non tàm ego ità verterim quàm vulgatus quem habui interpres. Num ignoras genitum & creatum nonnunquàm æquipollere? Consule Cingallum. Quanquàm nihil obstet quo minùs Christum ab æterno genitum creaturis omnibus esse in generatione vetustiorem, h. e. ut habet Sanctus Paulus, *Creaturarum omnium primogenitum*, rectissimè dixerim. Sanè quoad humanam naturam non erat omnium creaturarum primogenitus, ut notat Novatianus, Ergo juxta divinam.

Addidi ex Clemente quæ te, vel potiùs Arianos tuos, urunt. „ Filius nunquàm è specula sua excedit, ut qui non transeat è „ loco in locum, sit autèm semper ubique. Ubi videas Clementem Christum immensum seu omnipræsentem apertè agnoscere. Respondes aliquantò commotior, Hæc non modò Patribus, Justino, Theophilo, &c. sed S. Scripturæ adversari, quæ asserit Filium de cœlo descendisse. Repositi hæc non S. Scripturæ nec Patribus contra ire, cùm minimè divinam Christi naturam propriè respiciant, quæ omnipræsens est, sed vel carnem ex Mariâ natam, aut corpoream seu visibilem ad tempus assumptam effigiem quâ se olim Patriarchis spectandum exhibuit. Scripturæ hæc minimè adversari probavi ex illo Joannis loco, *Nemo descendit—nisi Filius hominis* ὁ ὢν qui, notante Origene, non erat, sed est in cœlo. Quis non videt diverso respectu Christum simul utrobiq; fuisse? Ratione divinæ naturæ in cœlo, ratione humanæ in terrâ.

Sed undè probas, inquis, ὢν non posse habere imperfecti temporis significationem, ut alibi Joan. 9. 25. Iniquum postulas V. D. sufficit si hoc in loco aliter significet, et veteres Patres cum Origene in præsenti tempore dictum intellexerint. Diffiteri neutiquàm poteris significationem illam rariſſimè occurrere.

Porrò quæris ubi Origenes ità scripserit? Adij, inquis, Editionem Græco-Latinam Huetij &c. Inspexi etiàm Editionem Latinorum operum curatam à Genebrardo &c. Respondeo, Verba illa invenias in Commentarijs Origenis in cap. 10. ad Romanos editis è Merlino.

Excipis insuper. Christus dicit se descendisse de cœlo, Ergo

Ergo transiit de loco in locum. Respondeo si divinam Christi naturam respicias, & descensum proprium seu localem intelligas, nego Christum ità de cœlo descendisse, cùm ubiq; sit. Si descensionem Metaphoricam, nihil indè probas, cùm etiàm Deus Pater illo sensu de cœlo descendisse dicitur. Gen. 11. 7.

Sed à me quæris, Num caro seu humana Christi natura de cœlo descendit, vel Filius hominis quà talis? Nullo inquàm modo: Sed is qui ut Filius hominis erat in terris, in cœlo erat ut Filius Dei. Descendit Christus de cœlo ubi erat non mutando locum, sed assumendo carnem ex Virgine Mariâ, eamq; divinissimæ ejus personæ uniendo. Descensio igitur Christi erat ejus incarnatio seu manifestatio Deitatis in carne humanâ juxta Paulum 1 Tim. 3. & Ult. Si Christum cum Clemente immensum h. e. verè Deum esse agnosceres, facilè à teipso impetrare potuisses credere verba priùs allegata esse Pij Clementis, sed salva res est. Cæteri Patres idem passim asserunt.

Postquàm in Historiam Amphilochij nonnulla annotàsses ex conjecturâ tuâ, „ ais modum tenendum esse nè Christum ni„ mium honoremus. Utinàm, nè modus tuus non habeat modum illa, nôsti cujus, memoriâ teneres, Christus non succensebit ijs qui ei nimium honoris tribuerint &c. Nec tamen inficior modum tenendum esse. Nos Christum neutiquam adoramus cum Heracleone & antiquioribus hæreticis ab Ignatio & Origene notatis, vel Patre superiorem, ut ὑπερέχον καὶ ἀγέννητον, sed ut Dei Filium proprium & unigenitum, non creatum, factum aut gratiâ adoptatum, (quomodò Pontificij Angelos & Sanctos, præsertim beatam Virginem, quam Deam appellant, venerantur) verùm ex Patris substantiâ genitum, ac proinde, cùm ea indivisibilis sit, eidem consubstantialem & æqualem æqualiq; honore, ut decet, afficiendum; æqualem dico ratione essentiæ seu substantiæ. Æqualitatem verò etiàm substantijs haud perperàm attribui, quod tu asseris, ex Salviano à te allegato discere potuisses, qui in hunc modum disserit. Illi (scil. Ariani) nos injuriosos Patri existimant quia Patrem & Filium æquales esse credimus. Jam ad Origenem transeamus.

Ex Origene multa allegavi quæ Arianismi jugulum petunt; ut illa, „ Non dicimus, sicut hæretici putant, ex nullis sub„ sistentibus Filium &c. ut fuerit aliquando quando non fu„ erit. Hæc dicis esse Origeni post exortos Arianos affuta. „ Quare? „ Quia, Erat quando non erat, hoc ordine vel „ serie verborum primò omnium ab Ario fuit usurpatum. Sed

cum venià tuâ dictum sit V. D. undè tibi hoc, quod audactèr adeò asseris, constare poterit? Nùm tu omnia tenes quæ hæretici omnes docuèrunt aut scripserunt ante exortos Arianos? Apud nos Anglos impossibile habetur negativum probare. Multò probabilius est à Cerintho, Artemone vel Ebione (Samosateni nomen, ut rectè mones, expungendum est) aut hæretico simili qui Christum ψιλὸν esse ἄνθρωπον nefariè docuèrunt, verba eadem usurpata fuisse. Quanquàm de serie & ordine verborum minùs sollicitus sim, si modò eadem alio ordine Scripserint. Ego quidem (quod tu præteris, quanquàm leve non sit) eadem, idq; eodem ordine verba ex Origene vel potiùs Athanasio, allegavi. Cùm Christus sit similitudo Patris fieri non potest *ut fuerit quando non fuerit.* Cogitet secum quicunq; audebit dicere *Erat quandò non erat Filius* (Arianorum cantilena) se hoc ipsum dicere erat quando sapientia non erat, ratio λόγος non erat, scil. in Deo. Hæc neutiquàm, quod notari vellem, ex Ruffino, aut Hieronymo, vel Latino aliquo Origenis Interprete, quos minimè curas, sed ex Athanasio transcripsimus. Consulas etiàm Dionys. Rom. in hypotyp. pag. 125. ubi eadem, vel perquàm similia reperias.

Tu cedere nescius his regeris, „ Nostrates (cur non Vestrates?) criticos Rivetum, Sylburgium, Grynæum &c. „ Missas Jacobi & Marci, Epistolas decretales, Justini expo„ sitionem fidei &c. ob voces recentioris vel originis aut „ usùs, ut ὁμούσιον, τριάδα, διστόκον, ὑπόστασιν, πρόσωπον, „ τρίτον ὑπαρξεῶς seu supposititias rejicere. Rectè; Sed „ non ob eam tantùm, aut præcipuè rationem. Respondeo igitur Spanhemij quem laudas verbis, Si in libris vel dubijs (quod nota) vel Apocryphis legantur quædam quæ ex Scriptoribus dudùm post natis sint manifestè deprompta vel verbo tenùs descripta &c. Ait in libris qui ob alias priùs rationes dubij vel Apocryphi habentur, si in eisdem verba recentioris usùs ex Scriptoribus dudùm post natis manifestè deprompta occurrant argumentum haud leve, licèt minimè demonstrativum, est eos esse supposititios. Origenis libros περὶ ἀρχῶν aut ἀναπεφαλ: unde illa superiùs allegata deprompta sunt, neutiquam video te adhuc critico tuo stylo ut supposititios confossisse, nec æquum esse puto ut illud attentares. Cur enim verba illa, *Erat quando non erat*, librum ullum suppositium redderent magis quàm vox ὁμούσιος, quam ab antiquioribus Patribus ante exortos Arianos usurpatam fuisse (quanquàm in libris qui nobis superstites sunt rarissimè occurrat)

rat) non modo Athanaſij & Socratis, ſed Euſebij Cæſarienſis tibi Ariani, teſtimonio comprobatiſſimum eſt. Nec facilè perſpicio cur verba illa, Erat quandò &c. Origenem corruptum aut ſuppoſititium eſſe arguant potiùs quàm Athanaſium à quo allegantur. Sed video quo tendis & in quod dirigis arcum. Perſuaderes nobis quicquid ubivis apud Veteres Patres contra Arianam hæreſin vel κατὰ μέρος vel διάνοιαν clarè & perſpicuè occurrat, eſſe vel corruptum, ut ſuprà in Clemente, vel ſuppoſititium, ut modò in Origene. Verùm hoc, nullo modo concedendum tibi eſt. Vox προσωπον apud Juſtinum nec ſemel reperitur in Apol. ſecundà & in Dial. uti Perſonæ ſenſu etiàm recentiori apud Tertullian. contr. Praxean. Nùm igitur libri hi inter ſuppoſititios aut corruptos annumerandi ſunt? Similitèr Vox ὑπόστασις apud Orig. contr. Celſum lib. 8. quem librum minimè ſuppoſititium eſſe aut corruptum omnes fatentur.

Probavi ex Origene Verbum eſſe veriſſimè Deum, quia cum invocat. Solus enim Deus juxta eum invocandus eſt. Reſpondes, „ At omninò loco illo ubi ait, Deum ſolum invocan„ dum eſſe, excipit Chriſtum ab eo (ſolo) quem dicit eſſe de„ precandum. Ego ex Origene clariſſimè probavi, Preces noſtras juxta ejus ſententiam non ſoli Deo Patri ſed Filio etiàm paritèr offerri debere, quem ipſe directè (ut aiunt) loco citato invocat. Jàm reſpondes. Rectiſſimè: nec ego id negavi, quin potiùs aſſerui: verba mea malè intelligis: nàm emphaſis eſt in voce *Chriſtum*, non in *eo*, et *quem* refertur ad Chriſtum non ad *eo*. Aſſentior. Hoc igitur, ſi ullo modò intelligam, vis, Origenem Chriſtum emphaticè excipere, quem nec tiquàm vult cum Patre, qui ſolus invocandus eſt, eſſe deprecandum. Si enim ſolus Pater invocandus eſt Chriſtus clariſſimè excipitur, ut cuivis innoteſcat; qui aliter capere poteſt capiat.

Scripſi haud multùm me refragaturum ſi verba illa μετὰ τὸν πατέρα, *poſt Patrem*, transferantur; cum Juſtino enim Filium Λυτέρα χώρα, ſecundo loco, et ut ſecundam in Trinitate perſonam poſt Patrem Chriſtiani omnes adorant. Replicas, Ergo nihil ex illo loco probare potes. Imò verò ex eo probo Verbum eſſe cum Patre Deum, utpotè Filium. Deum autem quoad bonitatem, ac conſequenter eſſentiam, Patri æqualem. Ibidèm enim ſtatìm ſequitur, „ Namq; & hoc bo„ num nullo alio bono inferius eſt. Si nullo alio bono, Ergo „ nec Patre. Non putas opinor hæc etiàm poſt exortos Aria nos Origeni aſſuta eſſe, quanquàm illi non minùs. *Quid me d*i-

cis bonum? *Nemo bonus niſi Deus*, quàm, Erat quando non erat cantitabant.

Ex alio Origenis quem tu ipſe agnoſcis loco, Tom. 2do. in Joan. ab Huetio Græcè edito, ne Interpretum perfidiam crimineris, probavi Verbum non eſſe factum ad vel apud Deum, quaſi qui anteà non exiſteret apud ipſum, ſed quòd ſit ſemper (non tantùm ante ſecula, h. e. mundi creationem ex nihilo productum aut in hypoſtaſin factum, quæ tua & Arianorum effugia ſunt) cum Patre. Hinc dicitur, *Et ſermo erat apud Deum*. Hactenùs Origenes. *Vide Append. pag.* 6.

In priori Epiſtolâ tuâ reſpondebas, Arius idem de λόγῳ ἐνδιαθέτῳ loqueretur. Sed minùs interìm advertis Origenem dicere non modò Verbum ſemper fuiſſe in Patre, nimirùm ut λόγον ἐνδιάθετον ſeu ſapientiam Dei eſſentialem, ſed cum Patre, et apud Patrem extitiſſe ſcil. ut diſtinctam hypoſtaſin. Quem in ſenſum verba Joannis allegat, *In principio erat Sermo* &c. Λόγον autèm apud Joannem non rationem ſeu ſapientiam Dei eſſentialem, quæ ἐνδιάθετός eſt, ſignificare, ſed hypoſtaſin à Patre diſtinctam ipſe etiam ſuprà agnoſcis.

„ In noviſſimis literis ais me λόγον ἐνδιάθετον eſſentialem „ ſeu innatam Dei ſapientiam appellare, et (quod verum eſt) „ diſtinguere à Verbo perſonali, quia, inquis, Eſſentiam ſepa- „ ras à Perſonâ. Itane verò? Num tibi, V. D. eſſentialem ſeu innatam Dei ſapientiam à natâ h. e. Dei Filio Verbo perſonali ſeu ὑποστατικῷ diſtinguere idem eſt ac eſſentiam divinam à Perſonâ ſeparare? Num diſtinctio ſeparatio eſt? Attributa Dei, Juſtitiam, potentiam, ſapientiam, &c. diſtinguis opinor. Num igitur ſeparas vel ab eſſentiâ divinâ, vel à ſe invicem?

Scripſi te ſupponere Apologiam Pamphili pro Origene eſſe ſuppoſititiam & corruptam, non probare. Regeris te in tractatu de Veter. Scriptor. probàſſe. Ego ea quæ ibidèm habes legi, nec adhùc certò id mihi conſtat, ſaltem ea quæ indè allegavi eſſe ſuppoſititia vel corrupta: Ratio eſt, quià ex Origenis Commentarijs in Epiſt. ad Hebræos verba illa tranſumpta ſunt. Mihi ſufficit, quiſquis Apologiæ illius Author vel corruptor fuerit, ſi olim ab Origene loco laudato ſcripta ſint, quod probabilitate non caret. Quanquàm, quod dolendum eſt, opus illud in Hebræos fruſtrà, heu fruſtrà à nobis deſideratur. Vocem autèm ὁμοούσιον Apologiam hanc eſſe ſuppoſititiam aut corruptam minimè evincere, infrà teipſum habemus conſentientem.

Jam ad Tertullianum pervenimus, qui diſertè ait Chriſtum eſſe

eſſe Filium Dei & Deum *ex unitate ſubſtantiæ*. Hinc intuli Tertullianum non idem quod poſt Arius docuiſſe; qui enim Patrem & Filium *unum eſſentiâ* eſſe docet, eos conſubſtantiales ſeu ὁμοουσίους eſſe contra Arium agnoſcit. Reſpondes, quod miror, „ Non ſequi id, (ſcil. Tertullianum non idem quod Arius do„ cuiſſe) quod credidit Filium & Patrem eſſe unum ſubſtantiâ. Quid aliud eſt obſecro *unum ſubſtantia*, quàm conſubſtantiale ſeu ὁμοούσιον? Addis, Idq; fortaſſe tùm demùm quando Montaniſtarum ſacris ſe addixit: ſed fruſtraneâ opera. Ego enim ipſis Tertulliani verbis manifeſtum reddidi eum *prius & ſemper* idem credidiſſe. Contra Prax. Cap. 2. Qui Liber teipſo fatente Nucl. pag. 96. ab eo antequàm Montano ſe addixit, ſcriptus eſt. Sed nemo, quod ſcio, præter te unquàm dubitavit Apologeticum, undè verba quæ allegavi deſumpta ſunt, editum fuiſſe priuſquàm in Montani hæreſin incidiſſet. Sed de his infrà iterùm agemus.

Addis, „ In eo docuiſſe Tertullianum idem cum Ario quòd „ Filium ſtatuat non ſemper fuiſſe, et Patre minorem eſſe „ contra definitionem Catholicæ, ut fateris, Eccleſiæ, In Tri„ nitate nec majùs nec minùs ineſſe. Reſpondeo. Quod ad τὸ αὐταΐδιον ſeu Filij cum Patre coæternitatem attinet, non eam negat Tertullianus, imò diſertè aſſerit Sermonem in Patre ſemper (non tantùm ante ſecula mundana) fuiſſe. Deum Patrem nunquàm ſolum h. e. ſine Filio ſuo fuiſſe. Hinc ſimilitudines illæ quæ apud eum paſſim occurrunt Solis & radij, fontis & fluvij &c.

Quod τὸ ἰσότιμον ſpectat agnoſcit Patrem omnia Chriſto, *ut non Minori ſit*, tradidiſſe, nec rapinam exiſtimavit Sermonem *Patri* Deo. Imò, contra Hermogenem ſcribit, „ Deus non „ capit diminutionem aut ſubjectionem: neq; enim proximi „ erimus Opinionibus Nationum, quæ ſi quandò coguntur „ Deum confiteri, tamen alios infra illum volunt. Alibi docet, Deum ut Deum eſſe ſummum & maximum. Ipſe fateris Tertullianum ὁμουσίαν ſeu unitatem ſubſtantiæ (quâ in re controverſia inter Homoüſianos & Arianos præcipue vertebatur) contra Arium credidiſſe. Qui verò Filium Patri ὁμοούσιον ſeu conſubſtantialem agnoſcit, eundem etiàm eſſe coæternum & æquali honore colendum, non ſine manifeſtiſſimâ contradictione diffiteri poteſt. Si enim Patris & Filij una eademq; ſubſtantia ſeu eſſentia ſit; ſi Pater æternus, Filius etiàm æternus eſt; ſi Filius poſtmodùm factus eſt, ità & Pater; Similiter qui ejuſdem omninò & totius, quia indiviſæ paternæ ſubſtantiæ particeps eſt, is ratione eſſentiæ ſeu Deitatis, quæ eadè utriuſq;

utriuſq; eſt, eodem planè cultu honorandus. Hæc clariſſima ſunt. Interim minimè negat Tertullianus Filium ut Filium, cùm non à ſeipſo ſicut Pater, ſed ex Patre genitus ſit, eſſe eâ ratione Patre minorem & inferiorem.

Verùm objicis „ hoc contraire definitioni Eccleſiæ Catho„ licæ ſcil. In Trinitate nec majus eſſe nec minus, i. e. in perſonis quarum eſt Trinitas, non naturæ cujus eſt unitas.

Reſpondeo, Si reverà cenſeas eſſe Eccleſiæ Catholicæ definitionem Athanaſianum illud, In Trinitate nec majus eſt nec minus, negare non potes te Librum tuum ſcripſiſſe contra Proteſtantes æquè ac Pontificios: Certum enim eſt Athanaſium non Arianum fuiſſe ſed verè Catholicum. Ut verò definitio illa rectè intelligatur apprimè notandum eſt Trinitatem ſumi vel abſtractè pro tribus perſonis ſeu perſonalitatibus præciſè ſumptis, vel concretè quatenùs perſona quælibet connotat & includit eſſentiam divinam ſingulis communem. Nec enim cùm Trinitatem adoramus vel invocamus nihil aliud mente concipimus quàm tres modos ſubſiſtendi ſeu perſonalitates præcisim conſideratas, ſed eandem divinam eſſentiam in tribus diverſimodè ſubſiſtentem (unde unaquæq; perſona Deus eſt) ſeu tri-unum Deum. Hoc non eſt ſeparare eſſentiam divinam à perſonis, ut tu malè ſupponis, ſed tantùm diſtinguere ea quæ intimè connexa ſunt. Nos igitur juxta Catholicæ Eccleſiæ definitionem, nec non Tertulliani contra Praxean ſententiam, *Trinitatem in unitate*, et *unitatem in Trinitate adoramus*, h. e. unitatem divinæ eſſentiæ in diſtinctione trium perſonarum, quæ eſſentia ſeu ſubſtantia, cùm una eademq; in ſingulis ſit ſeipsâ nec major nec minor, prior aut poſterior, melior aut deterior eſſe poterit. His minimè obſtantibus in perſonis præciſè ut perſonis majus & minus ratione *originis*, non *Deitatis*, prius & poſterius ratione *ordinis*, non *temporis*, locum habeant. Pater enim prima Perſona in Trinitate eſt ingenitus & abſolutè à ſeipſo. Filius ſecunda à vel ex Patre genitus, quo reſpectu, ſcil. ut Filius, Patrem ſe majorem agnoſcit, juxta illa apud Joannem, *Pater me major eſt*. Spiritus S. tertia à Patre & Filio procedens. In Trinitate igitur ut *prius* & *poſterius*, (quanquàm Symbolo Athanaſiano contraire videatur, *Nullus horum prior aut poſterior altero eſt*) ità *majus* & *minus* locum tenent, non ratione eſſentiæ, ſed originis tantùm & ordinis. Neceſſe enim eſt ut ubi plures numerentur aliquis ſit primus ſeu prior, alius ſecundus & poſterior, quanquàm omnes ſimul coæternæ & coæquales ſint. Vid. Symb. Ath. Pergis. Sufficit ex alijs Patribus Nicenis

quod

quod ad eandem essentiam spectat h. e. si modo intelligam quid velis, unitatem seu identitatem essentiæ Patris & Filij, nihil contra Arianos præstari posse. Siccine? Fateris igitur, ex Tertulliano saltèm, aliquid contra Arianos, qui eandem in Patre & Filio essentiam negabant, præstari posse. Ergo non omnes Patres Ante-Nicœni idem, nè in primario articulo controversiæ hujus, scil. ὁμοουσίᾳ, quod post Arius docuerunt, uti tu asseris; nec de unanimi consensu Patrum, scil. ut ipse explicas Ante-nicænorum, Arianos meritò gloriari potuisse. Signanter autem addis, quod eandem essentiam spectat h. e. quod ad Consubstantialitatem seu τὸ ὁμοούσιον attinet quod Arius, ut notissimum est, præcipuè oppugnabat. Miror igitur D. V. quo pacto inter alios Patres Ante-Nicænos Justinum, Athenagoram, Irenæum &c. Tertullianum etiàm in Arianissimi gratiam, testem in libro tuo produceres ad probandum Patrem & Filium non esse unius ejusdemq; sed diversæ essentiæ etiàm specificè, scil. Patrem infinitum & invisibilem, filium verò finitum circumscriptum & visibilem, quæ diversitatem specificam planissimè arguunt. Hanc ob causam percontatus sum. Dic amabò, qualem intelligis substantiæ unitatem inter Patrem & Filium Tertullianum credidisse? Specificam, ut inter Jovem & Apollinem, aut numericam. Respondes te sentire quòd Tertullianus quando hæc scribebat scil. in Apologetico, credidit unam esse Patris, & Filij hypostasin. Mira canis, seu minimè credenda. Num Tertullianus Vir doctissimus & acutissimus qui præ universis Patribus saltèm Ante-Nicænis, personarum in Trinitate distinctionem disertissimè nervosissiméque propugnavit contra Praxean & in ipso Apologetico Patris & Filij personalem diversitatem clarissime tradidit, unquàm credidisse putandus est Patrem & Filium ex eo genitum esse posse unam eandemque personam?

Quod vero addis, Tertullianum unam eandemque Patris & Filijs hypostasin credidisse, sed *qualitates utriusq; esse diversas*, „ nova mihi & falsa Theologia videtur. Putasne tu V.C. (Videris enim juxta propriam sententiam hæc, quamvis sub personâ, crypticè efferre) esse in Deo qualitates ullas aut accidentia? Num Deum non simplicem, sed ex diversis compositum introducis? Credisne saltèm Tertullianum, (de ejus fortè corio ludis) quod te pudet, ità desipuisse? Vide ipsum Apologet. et contr. Prax. Quanquàm non de unitate hypostaseos sed essentiæ Patris & Filij jam quæritur.

Illa verò Stomachum mihi movent. Scribis „ Tertullianum

„ unam

„ unam Patris & Filij hypoſtaſin credidiſſe, ſed qualitates „ utriuſque diverſas in Filio ſeu radio dependente à Sole *vi-* „ *liores*, in Patre ſeu toto ſole *ſublimiores*. Viliores? Nonne ſcribere potuiſſes inferiores, præſertim cùm poſteà addas in Patre ſublimiores? Hæc Chriſtomachiam haud perſonatam ſapiunt. Cogita quàm mitem Judicem Chriſtum experturus es. Seriò cogita. Agnoſco Tertullianum Solis & radij ſimilitudinem ſæpiùs adhibere; non ut Filij *vilitatem*, ut tu loqueris, aut cum Patre, nimirùm ratione eſſentiæ, (quam teipſo fatente unam eandemq; eſſe agnoſcit,) inæqualitatem, aut creaturæ inſtar ex nihilo factæ dependentiam probaret, quaſi iterùm à Patre in nihilum, ut ante erat, converti poſſit, (quod horrendum planè, neſcio an tu credas aut Tertulliano impingas) ſed ut ejuſdem cum Patre coæternitatem & puriſſimam ſine ullâ ſui diminutione generationem aliquatenùs adumbraret. Quem in ſenſum Patres Nicæni eâdem uſi ſunt, *Deus de Deo, lumen de lumine.*

His adjunxi, ſubordinationem ſeu ordinem quendam agnoſcimus in Trinitate, nec non minoritatem relativam, gradus etiàm, ſed impropriè dictos cum Tertulliano admittimus. Rationem addidi, quiâ ſubſtantia propriè non recipit magis & minus. Reponis, Rectè; ſed nec æquale nec ſimile, quorum illud in quantitatem, hoc in qualitatem convenit. Itanè? Quid igitur V. C. ſibi volunt nomina illa Arianorum tuorum fruſtulis impacta ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον, ſi ſimilitudo & inæqualitas in ſubſtantijs locum non habeant?

Cùm ſcripſiſſes Tertullianum Montanizantem ſcribere non potuiſſe contra fidem Catholicam; Regerebam, Nonne Montanizans multos libros ſcripſit contra Catholicos, ſcilicèt De caſtitate, Monogamiâ, &c? Reſpondes, „ Minimè de Trini- „ tate ea ſcripſiſſe; nam in eo articulo Montani fides fuit „ Catholica. Jam te teneo. Quorsùm igitur Paulò ſuperiùs interpoſuiſti ad elevandam Tertulliani authoritatem illum fortaſſe credidiſſe Filium & Patrem unum eſſe ſubſtantiâ tùm demùm quandò Montaniſtarum Sacris ſe addixit? Quorſùm inquàm ſi Montani fides in Trinitate fuit Catholica? Sed video te ſcenicum agere. Pergamus.

Nonnulla ex Tertulliani Carminibus adduxi, Cum Patre ſemper erat &c. Replicas, non legi præter te alium qui hæc Tertulliano adjudicavit. Reſpondeo me Hiſtorici non Critici, niſi obitèr, munus obire. Tertulliani ut vulgò appellantur Carmina allegavi. Mihi ſatis eſt alios Patrum Anti-Nicænorum eadem totidèm verbis tradere. Sint ſi velis incerti Au-

thoris

thoris ſi modo, quod minimè negas, vixerit ante Concilium Nicænum; ſemper intelligo primum.

Nè verò tibi adblandiaris me primum omnium Carmina illa Tertulliano adjudicâſſe, legeſis oro Præfationem doctiſſimi (quod minimè diffiteberis) Jacobi Pamelij in Tomum quartum Operum Tertulliani; ubi in hunc modum ſcribit. Primo poſuimus loco quos ipſius Tertulliani eſſe certò conſtat adverſùs Marcionem libros quinq; (undè ea quæ citavi carmina deſumpta ſunt) & de Judicio Domini, &c. Sed hæc mitto.

Sciſcitabar, Nùm Ariani tenent hanc, Tertulliani ſcilicèt, fidem unici Dei Patris, Filij & Spiritùs S. Reſpondes „Com„munem fuiſſe Tertulliani contra Praxean fidei confeſſionem „ & Montaniſtis & Arianis: nàm Catholici inquis & hæretici „ credebant in unicum Deum, credebant in Patrem, Filium „ & Spiritum S. Nùm igitur Ariani cum Tertulliano & Montaniſtis Catholici erant? Credebant ſat ſcio Ariani in unicum Deum, credebant etiàm, quod Sociniani profitentur, in Patrem, Filium & Spiritum S. Sed minimè in Deum unicum, Patrem, Filium & Spiritum S. Hæc autem non erat Tertulliani fides contra Praxean tradita; ille enim eo in libro ità in Deum unum, imò unicum, Patrem ſcil. Filium & Spiritum S. credidit, ut eoſdem diverſos, non ut Ariani ſubſtantiâ, ſed tantùm formâ, προσώπῳ & perſonâ ſtatuerit, imò ejuſdem utì indiviſæ ſubſtantiæ, ità virtutis & poteſtatis participes eſſe profitetur. Nùm ità credidère Ariani? qui Chriſtum creaturam à Deo Paulò ante mundum factam, & forte tecum Angelum proprie ſic dictum eſſe crediderunt. Cùm igitur ſuprà ſcripſeris, „Si quæris nùm Ariani negent ſolum Patrem eſſe ſummum „ Deum, ſed confiteantur tres perſonas Patris Filij & Spiritùs S. „ ſimul ſumptas unicum componere vel conſtituere Deum, ad „ quæſtionem tuam reſpondeo Negando. Benè habet. Hinc infero Arianorum & Tertulliani fidem quam contra Praxean confitetur non eſſe eandem: Tertullianus enim in libro contra Praxean diſertè docet Patrem & Filium & Spiritum S. eſſe diſtinctas perſonas. Addit, „ Patrem eſſe Deum, Filium Deum, & Spi„ ritum S. Deum, & unumquemq; Deum, ſed unum, vel unam „ ſubſtantiam in tribus cohærentibus. Plures autèm eſſe Deos nullo modo dici ſuſtinet. „ Jactitant, inquit, hæretici (uti „ jam Sociniani) duos vel tres, (Deos ſcil.) à nobis prædicari, „ ſe verò unius Dei cultores. Hos ſimplices, imprudentes & „ Idiotas appellat, qui quoniam regula fidei à pluribus Dijs „ (h. e. Idolis ſeculi) ad unicum verum Deum nos transfert, „ non intelligentes unicum quidèm eſſe Deum ſed cum ſuâ

„ œconomiâ (h. e. perſonarum Trinitate) eſſe credendum, „ exhorreſcunt ad ἀριθμὸν; numerum & diſpoſitionem Tri„ nitatis diviſionem præſumunt Unitatis, (h. e. eſſentiæ di„ vinæ) quando unitas ex ſemetipſâ derivans Trinitatem non „ deſtruatur ab eâ ſed adminiſtretur. Iterùm ibidem. Ecce „ dico alium eſſe Patrem (h. e. aliam perſonam) alium Filium, „ alium Spiritum S. non tamen *diverſitate* (h. e. eſſentiæ) *alium „ Filium à Patre* dico, ſed *diſtributione* (i. e. numero) nec *diviſione*, „ ſed *diſtinctione*, quià non ſit idem (genere ſcil. Maſculino, „ ſeu eadem perſona) *Pater & Filius*. Hinc clariſſimè liquet Tertullianum credidiſſe tres perſonas, ut appellat, Patrem, Filium & Spiritum S. ſimul ſumptas unicum componere, ſeu potiùs conſtituere Deum. Nùm Ariani tenebant hanc fidem? Ipſe ſupra negas.

Ad Novatianum progreſſus, illa contra Arium, quæ ſanè maximi ponderis ſunt, allegavi, „ Qui ante omne tempus eſt, „ (quod de Chriſto fatentur Ariani) ſemper in Patre fuiſſe „ dicendus eſt. Sempèr enim in Patre nè Pater (quod Arius „ negavit) non ſemper ſit Pater. Cætera, tædet enim omnia tranſcribere, videas in Hypotyp. Reſpondes „ Me fateri „ Pamelium vel potiùs Gagnæum de ſuo addidiſſe τὰ quædam „ ratione, quodammodò, aliquo pacto, nec me id fugiſſe, Pame„ lium eam in rem allegâſſe, & voces iſtas uncis incluſiſſe, quod „ veriſſimum eſt. Quæris igitur quo jure in libro meo ſcripſi. „ Novatianum prudentèr uſum eſſe his vocibus, quàdam ratio„ ne, quodammodò, aliquo pacto, ut omnem Arianiſmi ſuſpi„ cionem amoliretur.

His repono me Novatiani verba prout in vulgatis Editionibus extant ejus nomine recitâſſe; Hiſtoricum agens, non Criticum. Poſtquàm verò locum illum ſcriptis exarâſſem ex Pamelii annotationibus animadverti eum ſentire voces illas *quadam ratione*, &c. de ſuo addidiſſe Gagnæum, quas tamen, inquit, maluimus in textu relinquere ut nemo hinc errandi anſam ſumeret. Similitèr haud putavi ego fas eſſe me ſolâ Pamelii authoritate ſubnixum uſitatam lectionem immutare, quin potiùs in contextu, ut ipſe ait, relinquere. Interìm, nè quid lectorem celarem, ut Pamelium in locum conſuleret amicè admonui. Candorem igitur meum V. Cl. hâc in re potiùs laudâſſes quàm eò quòd minimè detrectem errores quoſdam (quod aliis etiam frequentiſſimè accidit) in librum meum irrepſiſſe, præſertìm cùm etiàm inter confirmanda tua & emendanda, (ut id obiter tibi notem) hæc ſcribas, Reverend. & ſummâ eruditione conſpicuum Doctorem Hammondum fuiſſe quondam Epiſcopum

pum in Anglià. Utinàm nos hîc terrarum certiores faceres cujus Diœceseos. Mittamus hæc. Miror autèm te minimè memoriâ recolere me insuper respondisse, Illis vocibus, quodammodò, aliquâ ratione &c. excerptis Novatiani verba Arianos ferire, imò, ut tecum loquar, macerare, quod prudens lector facillimè persentiscet.

Hippolytus ait, quod a me prætermissum est, *Christi Deitatem apertè videri quandò ab Angelis adoratur, peccata remittit*, &c.

Quod ad Gregorium Neocæsarienscm attinet ejus fidei confessionem Arianæ ex diametro, ut aiunt, contrariam, ipse fateris, quod sufficit, apud Gregorium Nyssenum inveniri. Addo, in Tomis etiàm Conciliorum ante quintam Synodum, notante Bellarmino. Quid Dorsheus vel Bebelius, cùm recentioris authoritatis sint, in contrarium scripserunt minùs moror. Cornelii à Lapide argumentum negativum, scil. Homousianos (quod fortè mireris) confessione illâ nusquàm contra Arianos dimicâsse, multum distat à demonstratione. Patres enim quamplurima contra Arianam hæresin post natam apertè militantia scripsisse quibus Homousiani nunquàm quod scimus contra Arianos usi sunt, vel ex iis quæ in libro meo collecta habentur cuivis constet. „Sed Basilius M. iniquis, Epistolà 44. simplicitatem & incogitantiam Fratris sui Nysseni arguit. Quid inde? Nùm ideò simplicitatis & incogitantiæ eum accusat quià confessionem illam orthodoxam aut Gregorii genuinam sobolem esse crediderit? Cùm hoc probaveris aliquid efficies.

Transeamus ad Dionysium Alexandrinum Episcopum (de Dionysio enim Romano Arianæ hæreseos malleo nihil aliud reponis quam eum fuisse Montanistam h. e. Catholicum, nàm, ut ipse suprà fateris, Montani fides in Trinitate erat Catholica) quem ex Eusebii Chronico probas è vivis excessisse antequàm Dionysius esset Episcopus Romanus. Quid si concederem non fuisse creatum Episcopum Romanum nisi postquàm Dionysius Alex. morti succubuit? Mihi sufficit quod ex Eusebii Histor. lib. 7. cap. 8. & Hierony. catal. constat, eos fuisse contemporaneos. Quanquàm quo anno mortem obierit Dionysius Alex. minus ad rem facit; modò, quod minimè, opinor, diffiteberis, ante Concilium Nicænum. Interìm Dionysium Alex. Episcopum ad Dionys. Episc. Roman. scripsisse, Athanasii autoritas, qui prope ea tempora vixit & Alexandriæ Episcopus erat, abundè valet ad probandum. Quis enim nisi Arianus putet Reverendissimum illum Virum eâ in re vel veritatem ignorâsse vel falsum consultò scripsisse quàm facillimè refutandum. Pergis, & ex Athanasio probas „Dionysium Alex. in Epistolà quà-

„dam

„dam ſcripſiſſe, Filium Dei eſſe creaturam & factam & peregri-
„nam ſeu alienam naturâ à Patre. Quid ſi concedam? nihil
ultrà indè probare potes quàm Dionyſium errâſſe ex nimiâ
contentione contra Sabellium, ac deindè, eodem Athanaſio te-
ſtante, errorem ſuum cum laude retractaſſe. *Nullus pudor ad me-
liora tranſire.* Baſilius, Ruffinus, Hieronymus &c. probant for-
taſſe eum in Arianam hæreſin inclinâſſe vel incidiſſe, neuti-
quàm verò in eâdem ad vitæ exitum perſeverâſſe. Magno igi-
tur molimine nihil agis. Hieronymus ſanè Apolog. lib. 2. cap.
4. Dionyſium hunc in Trinitate Catholicum fuiſſe aſſerit, quem
Baſilio opponam. Quanquàm ego Dionyſii Alex. Apologiæ,
nec non Athanaſio fidem libenter adhibeo, Reverendiſſimum
illum Virum quæ cautè minùs aut obſcurè, humanam Chriſti
naturam reſpiciens, ſcripſit ad limam revocâſſe & orthodoxâ in-
terpretatione in meliorem ſenſum redegiſſe. Diſertè prote-
ſtatur ſe Filium Dei non factum ſed Patri ſuo conſubſtantialem
ὁμούσιον & coæternum confiteri: Aut hoc ſufficit ad excuſan-
dum Dionyſium aut nihil.

Scripſi Athanaſium hæc Dionyſii Alex. cum laude memorare,
Deſertum dicis eum quem Patres ὁμούσιον appellârunt? Nullus
dubito me verba illa apud autorem fide dignum olim legiſſe,
nec ea eſſe viris in hac quæſtione verſatiſſimis ignota quanquàm
impræſentiàrum memoriâ recolere non poſſum locum ubi ha-
bentur. Sed in hoc minimè vertuntur fortunæ Græciæ, imò
verò ſi apud Athanaſium indicarem ſât ſcio quid reſponderes,
ſcil. Athanaſio in fideli Patrum allegatione haud multùm tri-
buendum eſſe, ut ſuprà ſub Ignatio reſpondes, aut librum ob
vocem Arianis inviſam ὁμούσιον eſſe ſuppoſititium, ſaltèm cor-
ruptum, ut Pamphili apologiam pro Origene rejicis. Quæ
ratio quàm ficulnea ſit, cæteris quæ ſuprà notata ſunt præter-
miſſis, teipſum appello, ità de Vet. Script. pag. 30. differentem.
„Qui verò cum Sixto Senenſi, Poſſevino, Bellarmino & Rivèto,
„tractatus hos (h. e. libros Origenis in Job, qui Arianorum
„ſalivæ optimè ſapiunt) non habent pro operibus Origenis ex
„eâ ratione quòd in iis fiat mentio ὁμουσίου falluntur; proba-
„vimus enim illam vocem jam̀ temporibus Origenis uſitatam
„eſſe.

Cyprianum contra Arium Teſtimonium ſuppeditare indè
probavi, quià unum Deum imò unicum, paſſim celebrat, &
Chriſtum eſſe Deum noſtrum clariſſimè profitetur. Ergo vel
Pater & Filius unus idemque Deus ſunt, vel duo Dii unus. Itèm
docet Chriſtum eſſe adorandum. His reſpondes, Eiſdem ver-
bis probabo Maximinum Epiſcopum Arianorum fuiſſe Ortho-
doxum.

doxum. Cur ità? Quià ille, inquis, unum Deum celebrat & Chriſtum Deum eſſe noſtrum agnoſcit & adorandum. Agnoſco Maximinum cum Arianis unum Deum celebrare & Chriſtum Deum eſſe adorandumque confiteri, ſed indè Maximinum tuum *orthologum* fortaſſe redderes potiùs quàm *orthodoxum*. Eâdem ratione & Socinianos reddere poſſes Orthodoxos: illi enim unum Deum & Chriſtum eſſe Deum adorandumque agnoſcunt. Sed qualem utrique Deum? Factum, nec æternum, nec omnipotentem, nec omniſcium Deum, ſed, qualis Moſes Phaaroni Deus erat, creaturam, nequaquàm opinor adorandam. Quis enim unquàm Catholicus conceſſit ullam creaturam eſſe adorandam? Quod addis te minimè in Cypriano obſervâſſe nullam creaturam, nè Angelum quidem, eſſe adorandam, videſis Cyprianum de Bono patient. & Exhortat. ad Martyrium.

Quæ ex Arnobio protuli ut levia fortaſſe mutus tranſilis, qui tamen Deos tuos, quos Juſtinum credidiſſe & coluiſſe audacter nimis aſſeris, ſubordinatos, inferiores & difformes averruncat. Quem deteriorem, inquit, aut minorem (i.e. eſſentiâ) eſſe dicis, Deum propriè dictum eſſe negas: Deus enim non eſt niſi Summum Magnum, ut rectè Tertullianus. Alibi Arnobius „Chriſtum maximo qui excogitari poteſt divinitatis cultu af„ficiendum eſſe docet. Eundem igitur Patri ἰσότιμον contra Arium credidit. Ad Lactantium tandem devenimus. Ubi notavi te concedere (quod quis non miretur?) Juſtinum, Tatianum, Athanagoram, Tertullianum, Novatianum & Lactantium τὸ ὁμοούσιον, ſeu unitatem eſſentiæ Filii cum Patre contra Arii ſententiam docuiſſe. His reſpondes Tatianum, Tertullianum & Novatianum veteribus fuiſſe hæreticos. Sed quæro, nùm veteribus hæretici fuèrunt eò quòd unitatem eſſentiæ in Patre & Filio crediderint? Nonnè ſuprà fateris Montani hæretici fidem fuiſſe in Trinitate Catholicam? Addis, non certò conſtare quo tempore (anno opinor intelligis, de quo ipſe videris) Tatianus opus ſuum edidit. Sed haud puto poſt Concilium Nicænum. Hoc mihi ſufficit.

Quæ ſequuntur accuratiùs animadvertenda ſunt, cùm Sepiæ more tenebrarum nigredinem effundis. Ais; Te de iſtis, (Patribus ſcil.) Juſtino, Tatiano, &c. ſolis id, (nimirùm ὁμοούσιον, contra Arium docuiſſe) te dicere. Reſponſum tuum accipio. Hinc manifeſtiſſimè ſequitur ex conceſſione tuâ Arianos non potuiſſe niſi falſò & impudenter de unanimi conſenſu Patrum (h.e. ut teipſum alibi explicas, Ante-Nicænorum) quarto ſeculo gloriari. Quod ipſum, ſi quid intelligam, herbam quaſi porrigens, verbis immediatè ſequentibus ipſe fateris. „Et certè,

„inquis,

„ inquis, ſi Arij cauſa etiàm hâc in re autoritate dictorum Pa-
„ trum defendi potuiſſet etiàm ſic (à te opinor eorum hyper-
raſpiſte) defenſa fuiſſet. Defendi igitur Patrum illorum ſal-
tèm autoritate Arianiſmus non poteſt.

Sed conſolaris clientes tuos, „ Sufficit ex alijs Patribus
„ Ante-Nicænis nihil pro fide ὁμοουσίου contra Arianos præſtari
„ poſſe ad probandum Arium ſui dogmatis non fuiſſe primum
„ autorem, ſed ſecutum eſſe Veteres Patres qui ipſum ante-
„ ceſſerunt, quorumq; nemo Filium Patri æqualem credi-
„ dit.

Ad probandum Arium non fuiſſe ſui dogmatis primum autorem &c. Quid hæc obſecro ſibi volunt? Nùm illud contendis & Ario glorioſum ducis eum fuiſſe primum ſui dogmatis autorem? aut, ut alibi ſcribis, nullum hæreticum fuiſſe ante Arium qui eadem cum Ario docuerit? Quid indè lucraris? Nonnè falſum eſt quod poſterius, verum quod prius? Nonnè omnes hæreſes, ut rectè Tertullianus, de poſteritate ſuâ revincantur? Mihi optimè placet illud Patris tui, imò potiùs Prophetæ, monitum, *State ſuper vias & inquirite quæ ſit bona & antiqua* &c. Nùm antiqua hæc via Arij doctrina eſt? quarto demùm poſt Chriſtum ſeculo enata? Euge! Dein, Quid refert Arium fuiſſe vel non fuiſſe ſui dogmatis primum autorem? Nùm in hunc præcipuè finem Patres à nobis allegantur? Si hæreticum, falſum & blaſphemum dogma ſit, hoc ſufficit ut autorem, quicunq; demùm fuerit, redderet meritò infamem. Sed quid multis opus eſt? Arius ipſe ſcripſit ad Alexandrum Epiſcopum Alex. ſe fidem ſuam (h. e. dogma) accepiſſe à majoribus & progenitoribus ſuis, et tu ipſe multis probas Nuclei pag. 141, 144. Arium non fuiſſe primum autorem ſuæ doctrinæ. Quem ſenſum verba quæ ſtatim ſequuntur manifeſtè denotant, ſcil. „ Arium ſecutum eſſe veteres
„ Patres qui ipſum anteceſſèrunt. Qui primus dogmatis alicujus autor eſt alios anteceſſores ſequi non poteſt. Deindè, illa quæ ſequuntur eôdem ſpectant, „ Quanquàm illud ἐξ ὑπ-
„ ὄντων fortaſſe Ario peculiare fuit. Hæc animo revolvens opinor (cum veniâ tuâ V. Cl.) errorem ſeu potiùs erratum quoddam in *epiſtolam etiàm tuam*, Typographi quantùm arbitror culpâ irrepſiſſe. Ego juxta tui mentem, ſi rectè teneam, ità legendum eſſe puto. „ Sufficit ex alijs, Patribus Ante-Ni-
„ cænis nihil pro fide ὁμοουσίου contra Arianos præſtari poſſe ad
„ probandum Arium fuiſſe ſui dogmatis primum autorem, ſed
„ (vel, et non) ſecutum eſſe veteres Patres qui ipſum ante-
„ ceſſèrunt, quorumq; nemo Filium Patri æqualem credidit.

Si

Si hic reverà sensus tuus sit, nec verum esse censeo, nec ijs quæ alibi scribis consonum. Non verum; quia certissimum est non neminem Veterum Patrum Filium Patri æqualem credidisse, si quod nullus dubito, credidêrunt illa quæ scripsêrunt. Clemens Alex. disertè de Christo scribit, „ ὁ τοῦ δεσπότη τῶν „ ὅλων ὑξισωθεὶς, quoniàm *ejus* (non opus) *Filius est*. Hunc locum, cùm alitèr evadendi copia non esset, corruptum esse dicis: Tertullianus etiàm ait, *Deum Patrem Filio ut non se minori omnia tradidisse*. Nonnè qui Patre minor non est eidem æqualis perhibetur? Hunc locum obscurum esse dictitas & nemini intelligibilem. Origenes insupèr, nec semel, conceptis verbis, non per fallibiles consequentias, docet Filium esse æqualem Deo in Phil. 2. 6. Visne ut magnam Libri mei partem transcriberem? Miror sanè te clarissimæ veritati adeò obniti. Tolle personam & sat scio videbis i. e. non neminem ex Veteribus Patribus Ante-Nicænis Filium Patri esse æqualem credidisse; præsertìm cùm fatearis Justinum, Tatianum, Athenagoram, cum aliis Patris & Filij ὁμοουσίαν seu consubstantialitatem docuisse. Nùm una eademq; substantia sibimetipsi inæqualis esse poterit? Idem igitur non est idem sed diversum. Credisne Patres doctissimos, hæc ἀσύστατα & contradictoria tradidisse? Haud alius. Nec sensus iste ijs quæ alibi scribis consonans est, ità enim peroras, „ Si quanquàm non ex „ Justino, Tatiano, &c. ex alijs tamen Patribus aliquid contra „ fidem ὁμοουσίου præstari potest. Ergo, inquam ego, non ex *omnibus*. Ubi igitur ille, quem toties jactas, *unanimis Patrum omnium* cum Ario consensus? Sed de his infrà pluribus. Addis, Quanquàm ex οὐκ ὄντων fortassè Ario peculiare erat. Sin ità, eâ in re Arius Patres antecessores suos minimè secutus est. Quâ igitur ratione scripsisti Patres (indefinitè) eadem (indiscriminatìm) quæ post Arius docuisse.

Porrò ais, „ Eorum qui Ariani dicebantur se verò Arianos „ esse negabant fides non tàm ex hujus aut illius personæ effa- „ tis quàm ex totius Ecclesiæ eorum definitione in Synodis „ dijudicanda est. Ariani—qui se Arianos esse negabant &c. Jàm subvereor nè ullibi terrarum veri nominis Ariani reperiantur, cùm veterrimi illi veteratores Ariani se (utpotè Episcopos) Arij Presbyteri discipulos nominari non sine indignatione detrectabant. Reverà adeò versipelles, astuti, æquivoci, imò perjuri, instar Arij parentis erant, ut quid Ariani nomen significat penè imperceptibile sit. Quod ipsum tu Arianorum causam agens luculentèr adeò in ijs quæ infrà sequuntur præstitisti, ut nihil necessè sit quicquam ex Athana-

sio,

sio, Hilario Socrate aut Theodoreto huc transferre. Episcopi, inquis, tres Orientales ad Constantium Legati (ut eidem opinor prout optimo Patri fucum facerent) Formula μακρόστιχος, Ursacius & Valens (Eurypi illi) Concilium Antiochenum quintum, Sardicense seu Philippolitanum, Sirmiense, Ariminense, negabant Filium esse ex οὐκ ὄντων, aut *fuisse aliquandò cùm non fuit*; eos insupèr anathemate mactant qui docent Christum ex aliâ substantiâ & non ex Deo esse, imò tres illi Legati nomine Synodi confitentur *Filium non ex non existentibus, sed ex solo Patre germanè & nativè genitum esse, nec fuisse aliquando cùm non fuit.* Hæc seculo quarto, in quo Arianam hæresin totum orbem pervasisse ipse gloriari soles. Ego juxta Synodorum harum definitionem nè *Arianum unum* facilè perspicere possum: Si enim Filius non ex nihilo aut ex ullâ aliâ substantiâ quam Deo, idq; ab æterno germanè & nativè genitus est; vel per decisionem seu divisionem, quod impossibile planè, cùm Deus Spiritus & indivisibilis sit; vel totius paternæ substantiæ communicatione. Si posterius; quis nisi αὐτοκατάκριτος hæreticus negare poterit Filium esse Patri ὁμοούσιον seu consubstantialem, eidem æqualem ἰσότιμον, imò (nisi Dei substantia æterna non sit) et coæternum. Sed operæ pretium est advertere quæ perjurus ille Arius (cui Arianismus, cujus primus autor erat, optime innotuit) scribit in Epistolâ suâ ad πανοῦργον illum, Christiani orbis perniciem, Eusebium Nicomediensem, & alibi, Filius non est ex essentiâ Dei genitus. Deus non sempèr erat Pater. Filius non sempèr erat Filius. Non erat Filius antequàm funderetur aut gigneretur. Initium habet Filius &c. Hæc Arius. Seculo 6to. Oppila Arianus ait se credere Patrem, Filium & Spiritum S. esse unius virtutis, quod Maximinus (Catholicus ille tuus Arianus) seculo 5to. negâsset.

En malè junctarum discordia semina rerum!

Sed quid multis opus est? Novem, vel circitèr, uti ex Socrate, Sozomeno &c. collegimus, fidei confessiones edidère Ariani (vel quocunq; nomine appellentur) et totidem Concilia celebrabant, in quibus quid aliud egèrunt quàm juxta vetus dictum, Diruunt, ædificant, mutant &c. Egonè quod residuum est ætatis meæ in tumulum vergentis impendam ut cum larvis hisce & in religione histrionibus seu hypocritis contenderem? Spero me juvante Deo posse meliùs operam collocare; non ut damnatas Orco hæreses effodiam, aut Paradoxa in ingenij variæq; lectionis ostentationem propugnem, sed

sed antiquam fidem ex Sacrâ Scripturâ hauſtam, à Patribus traditam & Eccleſiæ Anglicanæ articulis ſtabilitam, quantùm ſcio poteroq; (quod ſentio quàm ſit exiguum) defendam. Hæc obiter. Pergamus.

Quod ad coæternitatem Filij attinet, „ Nemo, inquis, utiq; „ *nemo*, Ante-Nicænorum Patrum, ut ut in aliquibus eorum „ hunc ſenſum fortaſsis invenias, docuit Filium fuiſſe ab æ„ terno diſtinctam à Patre hypoſtaſin, ſeu Filium fuiſſe ab æ„ terno Filium. Si ità res habeat, quæro à te, D. V. utrum hæc ſcribas ſub perſonâ Ariani, aut juxta propriam ſententiam? Si ſub perſonâ Ariani, prævaricatorem agis potiùs quàm advocatum. Jamjam enim ex Conciliorum ſuorum generalium definitionibus, te monſtrante, didicimus, Arianos Filium minimè ex non exiſtentibus, aut ex aliâ ſubſtantiâ ſed ex Deo ſolo *germanè* ſeu *nativè*, idq; ab *æterno*, (nec enim, ut fatentur, fuit aliquandò cùm non fuit) ante omne principiũ genitum eſſe docuiſſe. Quo pacto igitur te Arianorum cauſam propugnâſſe videaris qui ſingula hæc, ex Patrum Ante-Nicænorum Scriptis operosè refutare & convellere molitus es? Si verò hæc in perſonâ tuâ juxtaq; proprium ſenſum depromis, jam perſonam deponis, quod Ithacus velit.

Sed quid illa ſibi volunt? „ Nemo Ante-Nicænorum Pa„ trum, ut ut in aliquibus eorum fortaſsis hunc invenias ſen„ ſum, Filium fuiſſe ab æterno, nemo tamen docuit Filium „ ab æterno fuiſſe diſtinctam à Patre ὑποστασιν, Filium ab æ„ terno fuiſſe genitum, &c. Quibus addis, „ Secundùm Pa„ tres Ante-Nicænos dei Filius factus eſt Paulò ante mundum, „ et ità evaſit hypoſtaſis à Patre diſtincta &c.

Ita ne? Filius Dei factus eſt? &c. Nonne hoc ipſum Athenagoras unus ex Ante-Nicænis Patribus diſertè negat, οὐ γενόμενον? Habes jam non modò *ſenſum* ſed *verba* Athenagoræ, qui eodem in loco de Dei Filio agit, quem aſſerit Deum qui ex mente æterna à principio, (h. e. ab æterno) in ſeipſo ſuâ fuiſſe aſſerit, cùm rationalis ipſe æternum ſit. Audi etiam Irenæum, *Non infectus es O homo, neque ſemper cum Deo coexiſtebas ſicut proximum ejus Verbum.* Nonne perſentiſcis eo in loco de Verbo tanquàm hypoſtaſi diſtincte cum Patre coexiſtente doctiſſimum Patrem diſſerere? Quem non modò infectum, ſed etiam æternum ſeu ſempiternum eſſe prædicat. Negat igitur Non-nemo Patrum Ante-Nicænorum Filium Dei factum eſſe, aut paulò ante mundum hypoſtaſin evaſiſſe. Qui enim coexiſtebat cum Deo, non ſolùm in Deo exiſtebat, ut attributa ejus omnia, idque ſemper; is non in tempore aut paulò ante tempus ſed ab

æterno persona erat. Gregorius Thaumatur. Dionys. tùm Roman. tùm Alex. disertissimè negant Filium Dei esse opus seu factum. Vide Hypotyp. Origeni,, ,Christus Dei sapientia „(quam æternam esse quis dubitat?) Ut Deus et Dei Filius „non est (quod Marcellus hæreticus, quem Eusebius Cæsa„riensis refutavit, censuit) quid in-substantivum seu ἀνευπόστα„τον sed quid substantialitèr in Deo & *apud Deum subsistens.* Verba habes Hypotyp. pag. 65. Justinus apertissimè probat in Dialogo Verbum esse hypostasin a Patre distinctam & Filium Dei *sempèr* fuisse asserit in Epistolâ ad Diognetum.

Quod coæternitatem Filii cum Patre spectat, eam Patres Ante-Nicæni uno quasi ore profitentur. Ignatius non modò ante secula (h. e. mundum) fuisse, sed αἴδιον æternum esse docet. Similitèr Clemens Alex. Athenagoras, Justinus, &c.

Irenæus, Tertullianus, Novatianus, Theophilus Antioch. Gregorius Thaumaturgus, Dionys. uterque, Origenes cum aliis disertè asserunt *Filium semper* fuisse apud Deum. Qui sempèr erat apud Deum, non modò antè, aut paulò antè, creationem, sed sempiternus erat & nunquàm non erat. Qui nunquàm non erat æquè ac Pater æternus erat. Eant igitur Ariani & verba Patrum fortè referant (sed verba tantum dant & corticem sine Nucleo) unde Christum tantùm fuisse ante tempus, ante secula, ante mundum probare nituntur; Esse ab æterno seu æviterno Porphyriano, quod longè post æternum initium sumpsit. Frivolis hisce æquivocationibus & subterfugiis diserta Patrum Ante-Nicænorum verba opponimus, Filium Dei (quod Hypostasin denotat) semper (idque infectum) *apud Deum* Patrem fuisse, sempèr eum eo coëxtitisse. Qui verò semper apud Deum erat coæternum fuisse quis iverit inficias?

Ad ea quæ ex Ignatio profers Filium esse οὐσίαν γεννητὴν & λόγον οὐσιώδη. Quod prius attinet, respondeo verba illa non esse Ignatii sed interpolatoris nescio cujus, cùm in Medicæo exemplari ab Usserio edito non extent. Ut ut sit, οὐσία γεννητὴ personam opinor denotat. Quod ad posterius, suprà responsum habes.

Tandèm ais, Secundùm Athenagoram & Theophilum Antioch. Filium Dei factum esse paulò ante mundi creationem & evasisse Hypostasin, qui antè fuerat λόγος ἐνδιάθετος Patris.

Quod ad Athenagoram spectat, clarissimum est eum Dei Filium (quod vel ex ipsâ Filii propriè sic dicti, qualis Christus juxta Justinum est, appellatione constat) hypostasin seu perso-

nam

nam agnoscere, cùm inter eum Jovisque Filios comparationem instituat, et similitudine utatur Imperatoris (Antonini) et Filii (Commodi) Augusti: undè quis cælestis, inquit, etiam regni contemplationem clarius animo complecti queat. Excipies forsàn, Sed non semper Filius erat aut persona: Imò semper; addit enim Filium hunc esse Patris *progeniem* h. e. genitum, non, quod tu asseris, factum, γενόμενον. Insuper, Patrem Deum et Filium Deum (Deus autem persona est) et *utrumque unum* esse prædicat. Filium Dei, Deumque cum Patre unum etiàm *æternum* (non paulò ante mundum creatum) celebrat, eo quòd *Deus æternùm*, h. e. ab æterno, *rationalis sit*. Athenagoræ igitur æquè absurdum videbatur Deum aliquandò Filio suo ac ratione, seu λόγῳ caruisse. Si Athenagoras per λόγον Dei Filium et progeniem nihil aliud intellexerit quàm rationem seu sapientiam Dei essentialem, quid obstat quo minùs *justitiam*, *potentiam*, cum cæteris attributis, æquè ac *sapientiam* inter genitos Dei Filios numerâsset? Quorsùm igitur aut quâ fide Patrem hunc laudas ut probes Filium Dei esse Factum (quod diserte negat) paulò ante creationem, et ità demùm evasisse hypostasin, quæ apud ipsum nec quoad verba nec quoad sensum (quem ut Nucleum cortici præfero) ullibi invenias? Imò verò nec in aliis Patribus Ante-Nicænis. Origenes apud Athanasium ità scribit, Fas non est spoliare Patrem unigenito suo semper secum existente Verbo, spoliare item eum (quod indè sequitur) sapientiâ, Hypotyp. pag. 61. Similiter in Epist. ad Rom. cap. 1. Christus non est prædestinatus ut esset Filius Deus, cum semper fuit sicut Pater &c. Ubi vides Origenem Verbum genitum, imò, unigenitum, Patris Filium agnoscere *semper* fuisse sicut Patrem, i. e. et æternum secum existentem semper Deum, non prædestinatum ut posteà Deus esset. Rursùs in Joan. Neque eo quòd non sit apud Deum factus ut esset apud Deum (Christus) ante omne enim tempus & seculum, *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum.* Summatim dicam, non tantum Origenes sed Ignatius, Irenæus, Clemens Alex. Tertull. Novatian. Dionys. uterque, Gregorius Thaumatur. Lactantius ut in Hypotyp. videas, unanimiter docent, Verbum semper fuisse apud Patrem, Deumque semper et ab æterno Patrem fuisse, nunquàm nè ante mundi creationem solum fuisse. Qui solus non est, nonne aliam personam habet secum coexistentem, qui nunquàm solus, semper præsentem? Si Deus semper Pater sit, nonnè necessariò sequitur eum semper habuisse Filium ut personam seu Hypostasin actualiter, ut Scholastici loquuntur, non tantùm in potentiâ, subsistentem, cùm nemo Pater sit, nedùm

ſempèr Pater, ob Filium poſteà tandèm aliquandò orituſum.

Quod ad Theophilum Antioch. ſpectat, (qui ſolus, ſaltèm præ cæteris Patribus, Arianis accedere videatur) veriſſimum eſt eum, (non autem Athenagoram,) „Dei Filium λόγον ἐν„ διάθετον appellare, quem (ait) cùm habuiſſet Deus in viſce„ribus ſuis genuit, cùm eum produceret cum ſapientiâ ſuâ an„te hæc univerſa. Eſſe verò ante univerſa ſi Filii æternitatem minimè probet, neutiquàm improbat. Qui enim æternus ſeu ſempèr erat, ante univerſa erat; majus enim, ut ipſe ais, continet, non tollit, minus. Athenagoras ſanè et Irenæus; imò et Theophilus hic noſter, ex illo Solomonis loco, *Dominus creavit me initium &c. ante colles* &c. Filii æternitatem ſeu ſempiternitatem colligunt. Quibus aſſentitur Novatianus, *Qui ante omne tempus eſt ſemper in Patre fuiſſe dicendus eſt, nè Pater non ſemper ſit Pater, cùm Filius* (quod hypoſtaſin indicat) *faciat Patrem.* Ex his ſatìs conſtat Patres Ante-Nicænos hàud indefinitè aut univerſim, ut tu aſſeris, docuiſſe Filium Dei factum fuiſſe paulò ante mundum, et ità evaſiſſe hypoſtaſin à Patre diſtinctam, h. e. Filium. Addit ſat ſcio, eodem in loco Theophilus, „Cùm verò mundum con„dere inſtituiſſet Deus τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, „hunc ſermonem (ſcil. ἐνδιάθετον ſeu internum) genuit pro„latum, per quem omnia creavit, præſertim hominem, quique „Patris perſonam aſſumens venit in paradiſum et colloquebatur cum Adamo. Diſcere jàm vellem V. D. an putes λόγον Dei, quem vis paulò ante mundi creationem hypoſtaſin evaſiſſe, fuiſſe ſuâ propriâ naturâ corpoream ſeu viſibilem (quod alicubi negas) eâque in paradiſum veniſſe & cum Adamo collocutum eſſe, aut ità ſenſiſſe Theophilum? Sin minùs; teipſum appello an non, probabiliter ſaltem, ſtatuamus eum, cùm ſcripſerit Deum λόγον ſuum ἐνδιάθετον, (quem prius ante mundi creationem genitum eſſe aſſerit) genuiſſe προφορικὸν, nihil aliud intellexiſſe quàm voluiſſe Deum ut Verbum ſuum exiret viſibili formâ, ſorte humanâ, veſtitus, ut materiâ informè ſeu Chaos in formam rediget, hominis corpus ex luto propriis manibus, ut nonnulli Veterum Patrum tradidere, formaret, et cum Adamo, ut Sermonem decuit προφορικὸν, colloqueretur. Sed quicquid tu eâ de re ſtatuas Theophilum conſulamus, cui Filius Patri ſuo ἀεὶ συμπαρὼν ſemper præſens eſt, idque, quod perſonam manifeſtè denotat, ut Conſiliarius, quo uſus eſt in mundi creatione. Num creatura ulla idoneus eſſe poterit Dei conſiliarius? Excipies forsàn, Sed non ſemper & ab æterno conſiliarius erat. Imò verò ſemper, διὰ παντὸς ἐν καρδίᾳ θεῦ, in

orde

corde Dei, h. e. ut habet Joan. cap. 1. In sinu Patris. Paulò post ait, Deum semper *confabulatum esse* cum λόγῳ suo, quem non, ut tu ais, fecit, sed ut Filium, Deorum Filiis ex concubitu natis dissimilem, genuit. Ibidem post pauca, Ἐκ θεοῦ γεγονότα, Eundem ex Deo progenitum esse asserit. Hæc lib. 2. pag. 100. Illa autèm pag. 88, quæ Arianorum causæ inservire videantur accuratiùs perpendenda sunt. „ Deus habens suum Sermonem „ in viscеribus suis genuit eum cùm eundem produceret cum „ sapientiâ suâ, μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας, ante hæc universa. Post pauca, „ Hic existens Dei spiritus principium, sapientia & potentia descendit in Prophetas. Non enim erant Prophetæ „ cùm mundus crearetur, sed sapientia Dei quæ in ipso est „ & Sermo ejus sanctus ἀεὶ συμπαρὼν ἑαυτῷ sempèr illi præsens. Nùm hæc ullo modo probant Sermonem magis quàm Dei sapientiam unquàm non fuisse Deo præsentem? Dein Juxta Theophilum Deus ut λόγον, ità similiter sapientiam suam produxit ante hæc universa. Nùm putas ullum unquàm Christianum, nedùm sanctum Theophilum, sensisse Deum paulò antè universa suam sapientiam aut potentiam fecisse, aut ex nihilo produxisse? Abit. Si non Sapientiam, nec Sermonem; cùm à Theophilo in eâdem periodo proximè connexa sint. Addo, „ λόγῳ & ibidèm Dei spiritus & potentia est. Nùm Dei Spiritus unquàm factus est, aut ejus potentia paulò ante mundum producta? Sed quantùm perspicere possum putas fortasse tu Patres Ante-Nicænos, interque eos Theophilum, credidisse Christum Dei Filium æternum vel ab æterno fuisse, quià in Dei viscеribus, h. e. sapientiâ & potentiâ quasi seminaliter ab æterno delituit, posteâ i. e. paulò ante mundi creationem, in actum seu hypostasin producendus; *quo sensu tu & ego* cum *toto universo æterni* vel *ab æterno eramus*, nimirùm in *sapientia* seu *decreto* & *potentia Dei, æquè ac Dei Filius Christus, Deus in secula benedictus.* Nùm blasphemum hoc commentum, quod tibi Viro docto & Christiano haud ausim, tu doctissimo Theophilo Sanctissimisque Ecclesiæ Christianæ Patribus affingere non erubescis? Si verò Origenem vel Gregor. Cæsar. consulas te docebunt, *Nihil extraneum aut adventitium*, aut tanquàm non antehac (Nota) *subsistens vel superingressum, locum habere posse in sanctissima Trinitate.* Perpende igitur oro quâ fide suprà à te scriptum est, Secundùm Patres Ante-Nicænos, præsertim Theophilum A. Filium Dei factum esse paulò ante mundùm, & ità postmodùm evasisse hypostasin à Patre distinctam, non ità fuisse semper ab æterno. Sed quid multis opus est? Nonnè Ariani tui quorum causam, eruditione tuâ, iterùm dico, parùm dignam, defendis, tibi

bi tuisque effugiis disertissimè contradicunt? Illi enim, ut paulò antè ex eorum Conciliis didicimus, planè decernunt, *Filium non ex non entibus*, seu ex nihilo, *sed ex ipsa Dei substantia germanè & nativè genitum esse, idque ante omne tempus, seculum aut principium*, imò anathemate eos feriunt quicunque dixerint, fuisse aliquandò cùm non fuit Dei Filius. Si igitur Ariani personam deponere nullo modo velis, utinàm saltèm eandem decorè, h. e. instar Ariani, retineres. Arianismus autèm, ut nos mones, non tàm ex hujus vel illius personæ effatis quàm ex Arianorum Conciliis dijudicandus est. Hæc in priorem partem, ad posteriorem transeamus.

SECUNDA PARS.

MIrabar, ut ais, te scripsisse Arianos seculo quarto de unanimi Patrum consensu gloriari potuisse, h. e. Patrum (Quis enim aliter intelligeret illa *Seculo quarto*?) etiàm quarti Seculi. Respondes, „te de Patribus Ante-Nicænis eorum„que unanimi consensu egisse. Egò verò, ni fallor, contrarium in Libro meo manifestè probavi. Imò tu ipse idem concedis cùm jàm fatearis, „ Justinum, Tatianum, Athenagoram, „ Tertullianum, Novatianum & Lactantium, (Patres Ante„ Nicænos) Filii cum Patre unitatem essentiæ seu τὸ ὁμοούσιον „ probâsse, contra Arii sententiam. Nùm Arius τὸ ὁμοούσιον probavit? Replicas, „ Arium non tantùm co-essentialitatem „ (quam Patres supradicti te fatente, docuerunt) sed etiàm „ coæternitatem & æqualitatem Patris & Filii oppugnâsse. Benè habet. Quid indè sequitur? scil. non tantùm in uno dogmate sed tribus Arium non idem quod Patres Ante-Nicæni, ut probavimus, docuisse. Ut ut sit. Nonnè hinc constat *aliquid saltèm*, nimirùm quoad co-essentialitatem seu ὁμοουσίαν (in quâ controversia inter Catholicos & Arianos præcipuè versabatur) ex Patrum Ante-Nicænorum Scriptis præstari posse? Quo pacto igitur Ariani de unanimi eorum consensu gloriari potuissent nisi falsò & impudenter imperceptibile planè est. Sed excipis, „ Quanquàm Patres non negando consubstantialitatem tamen co-æternitatem & æqualitatem Filii cum Pa„

tre

„tre inficiando cum Ario conſenſèrunt. Sed pace tuâ V. Cl. hæc gratis dicta ſunt, ut in libro meo, & ex literis hiſce tuis probatum eſt. Tertullianus unus ex Patribus Ante-Nicænis diſertè negat gradus in naturâ divinâ locum habere, cùm, inquit, *unica* ſit. Imò, ut & Origenes, Filium eſſe Patri æqualem expreſsim aſſerit. Idem ſentit de Filii cum Patre co-æternitate ſeu ſempiternitate, ut ſuprà vidimus. Cui Irenæum, Clementem Alex. Novatianum, cum aliis adjungas. Dices forſitàn te nihil aliud voluiſſe quàm Patres in *aliquibus* cum Ario conſenſiſſe, non in omnibus. Sed quis obſecro unquàm dubitare potuit Patres cum Ario in nonnullis idem ſenſiſſe? Arius enim, hæreticus licèt in Trinitate, Chriſtianus erat, & in multis orthodoxus. Sanè cum de Ario vel Arianis Patrum; cum iis conſenſu vel diſſenſu diſceptatur, de proprio Arii dogmate ſeu hæreſi quæritur. *Κυρία* autem *Νίκα* ſeu diſcriminans & principalis Arianiſmi articulus erat negatio *ὁμοουσίου* ſeu Conſubſtantialitatis, undè inæqualitas & *poſterioritas* Filii neceſſariò conſequuntur. Qui Conſubſtantialitatem ſeu unitatem eſſentiæ Filii cum Patre tenent, quod de Patribus Ante-Nicænis, ſi non omnibus quamplurimis tamen ipſe largiris, de æqualitate & æternitate niſi abſurdiſſimè dubitare non poſſunt. Tantùm addam, Si Juſtinus, Tatianus, cum cæteris quos recenſes τὸ ὁμοούσιον *contra Arium*, quod concedis, *docuerunt*, quâ fide tu ex iis teſtimonia producis ut probares eos (indefinitè) eadem quæ poſt Arius docuiſſe, eumque non fuiſſe primum dogmatis ſui authorem, ſed majores & prædeceſſores ſuos, Patres ſcil. Ante-Nicænos, eſſe ſecutum. Nec vellem V. Cl. te hæc quaſi in tui contumeliam dicta interpretari, ſed potiùs in Arianos quorum perſonam induis & cauſam agis. Si enim contradictionibus, æquivocationibus & ſubterfugiis ſepoſitis apertè & ingenuè eorum hæreſin defenderes, Ariani perſonati munere vix cum laude, nedùm cum applauſu (quem ego ſanè neutiquàm tibi invideo) fungereris. Sed de his ſatis ſuperque.

Ex Clemente tuo Romano (argumento enim ad hominem, ut loquuntur, uſus ſum) produxi illa quæ Arium feriunt, „Pater Deus ſuper omnia, Filius unigenitus Deus & gloriæ „Dominus. Porrò quærebam nùm creaturæ ex nihilo factæ hæc competere poſſint? Reſpondes ità erat Arianis. Ergo, inquam ego, Arianiſmus Ethniciſmus eſt. Quid Maximinus ſpuria Arii ſoboles vel ſibi vel Patri ſuo contradixerit parùm refert. v. Auguſt. de Trinit. l. 6. c. 1.

Sed illud in me vibras, „Non diffiteris, inquis, Athanaſium, „Baſilium

„ Basilium M. cum aliis Catholicis (quibus Leonem Magnum addas) illam Arianorum Doxologiam (quanquàm Catholico non Ariano sensu) usurpâsse, „ scil. Gloria Patri per Filium „ &c. Quid indè colligis? „ Arianos scil. retinuisse antiquis„simam Doxologiam & primam mutationem in Ecclesiâ in„stitutam esse à Catholicis, post quam mutationem demùm „ Arianis propria mansit.

Sed qualem hic ex arenâ nectis resticulum? Nùm ullo modo consequitur Doxologiam illam, ut vocas, Arianorum esse antiquissimam eò quòd quarto demùm seculo eâ Athanasius & Basilius usi fuerint? Nùm illi fuêre Patrum antiquissimi; aut Ariani? Imò verò Doxologiam alteram, eamque à Catholicis usurpatam, non tantùm ex Polycarpo aut Justino, sed etiàm ex Clemente tuo Romano antiquissimam esse ostendam. Clemens Rom. inter Patres, te suffragante, (nec enim opinor Pseudo-Dionysium Areopagitam illi præponendum putas) antiquissimus est; cujus librum *Constitutionum* genuinam ejus prolem esse agnoscis, & ut penè divinum exoscularis. Nec sanè immeritò si Constitutiones illæ verè Apostolicæ sint. Ibi reperias Doxologiam, non Arianorum, ut dicimus, sed Catholicorum, antiquissimam. Ità sonat. *Tibi* (Pater) *omnis honor gloria & adoratio, Filio & Spiritui S. & nunc & semper in secula seculorum, Amen.* Nec ego scripsi, quod mihi imponis, primam vel ullam mutationem Doxologiæ institutam esse à Catholicis, qui utrâque usi sunt. Hoc tantùm dixi, Catholicos, inter quos Clementem, sat scio, annumeres (cui addantur Clemens Alex. & Dionysius Alex.) ab ipsis Ecclesiæ primordiis Gloriam Patri & Filio & Spiritui S. *pari ratione & absque ullo discrimine* reddidisse. Cui formulæ tempore tandem Constantii Imperatoris Ariani τὸ ὁμοούσιον oppugnantes alteram illam, *Gloria Patri per Filium* &c. sensu hæretico, h. e. Ariano (non quo Athanasius & Basilius M. aliique Catholici usurpârunt) ut Christi ἰσοτιμίαν sub eâ astutè convellerent, non sine tumultu opposuêre. Nùm hinc ullo modo sequitur Catholicos mutationem Doxologiæ in Ecclesiâ primùm instituisse, vel potiùs, quod verissimum est, Arianos antiquæ, non dico antiquissimæ, Doxologiæ à Catholicis etiàm tunc temporis usurpatæ sensum mutâsse & hæreticâ suâ novitate corrupisse. Sed de his infrà pluribus.

Quæ in duobus quæ sequuntur paragraphis notas, cùm nihil aut parùm ad præsentem causam attinent prudens scienſque prætermitto. Scias enim, Cl. V. me nunquàm hoc sanè modo ad tua responsurum fuisse (tuis jam verbis utor) si literas meas putâssem, me planè nescio, lucem visuras. Illud tantùm

animad-

animadversione dignum puto. In Ignatio negabas ταὐτὸν masculino genere recte reddi. Respondi, ego id aio, & Grammaticum quemvis appello an non ità reddi posset. Replicas, Imò ego id nego, & Grammaticum quemvis appello, modò non sit Theologus. Siccinè? Nùm censes, V. D. Theologum & Grammaticum esse terminos incompossibiles, aut in rebus Theologicis Grammaticos esse Theologis Judices magis idoneos? Si tu, quem Grammaticum esse puto, Theologus non sis, cur te summis hisce Theologiæ Mysteriis illotis manibus immisces? Tractent fabrilia fabri. Sed hæc mitto. Sanè si Ignatius ταὐτὸν neutro genere intellexisset, nonnè ταὐτὸ æquè ac ταὐτὸν scribere potuisset, imò voluisset? Iterùm dico, Ex Ignatii scopo liquidò satis constat minimè ταὐτὸν neutro sed Masculino genere non modò reddi posse (quod opinor non diffiteberis,) sed etiàm debere. Ibi enim contra Simonianos seu Gnosticos disserit S. Martyr; qui, ut posteà Patripassiani, Proxeani & Sabelliani, sanctas personas in Trinitate confundentes Filium esse *ipsum* Patrem *ingenitum* & ἄναρχον impiè docuerunt; quam in rem perpendas obsecro quæ tu ipse in similem Ignatii locum annotas. Nuclei pag. 71. Ex nudis verbis perspicuum est Ignatium refellere hæreticos Sabellii procursores. Judicet igitur Grammaticus quisque vel Theologus annon ταὐτὸν eò loci masculino genere verissimè rectissimèque reddatur. Typographicum Sphalma quod vellicas illud est, verba mea tanquàm Justini *commaticè* in margine notari. Te igitur mirari Typographum etiàm, ut subsannas, personam Ariani induisse; ut infacetum scomma transeat, Nolo enim ego corvos sectari testâque lutoque. Vitilitigationibus igitur hisce posthabitis illa perpendo. Scribis me non diffiteri Christum in assumpta (sed non *nata*, ut alicubi de Angelis Tertullianus) humanâ carne inserviisse Patri in mundi creatione. Deindè sciscitaris, *Credisne igitur carnem humanam fuisse in illo ipso mundi initio.* Quid ni (Quanquàm non indubitatò) crederem? cùm quamplurimi Patrûm Ignat. Iren. Clem. Alex. credidêre Christum propriis manibus Adami corpus ex terrâ seu luto fabricâsse. Sed nolo his immorari.

Scripsi me vereri ne Justinum ingenuè satis allegâsses in hæc verba, *Christum à Patre generatum numero aliud esse à generante.* Illud autèm dixi non concepta Justini verba respiciens, quæ à me sicut à te eodem planè modo recitantur, sed quod vererer nè eorum sensum haud ingenuè juxta Justini mentem explicares, quem, ut jàm video, Bideitam vel Tritheitam reddere conaris. Quibus addis, „ Tibi nihil certius esse quàm quod de

„ unâ eâdemque numero substantiâ ad seipsam relata nec cum „ alia (scil. persona) comparata, nullâ ratione dici possit eam „ esse aliud ab alio. Recte. Sed de unâ eâdemque numero substantiâ ad seipsam relatâ nec cum aliâ comparatâ in præsenti causâ non agitur; sed de eâdem substantiâ relatâ & comparatione habitâ ad diversas personas in eâdem distinctè subsistentes, quæ sensu laxiori & transcendentali aliud ab alio verè, quanquàm minùs usitatè, dici posse, infrà probabimus. Mihi etiàm satis certum est Justinum minimè credidisse divinam substantiam seu essentiam (cùm Deus juxta eundem spiritus sit, ac proindè indivisibilis) in plures Deos esse divisam, (quanquàm in eâdem Deitate plures agnoscat qui unus idemque Deus sunt) nec ullo modò in animo habuisse, quicquid verba primo auditu sonant, ut id Tryphoni Judæo, unius Dei Cultori persuaderet; sed *alium* scil. Verbum (quod Judæi negabant & adhùc pernegant) *præter universorum Patrem* Deum etiàm in S. Scriptura *dici* & *revera* esse. Neutiquàm igitur inferres, si ingenuè Justinum allegâsses, Verbum esse *aliam à Patre Deum*, sed *πρόσωπον* (quo vocabulo utitur) seu *personam*, ut sæpiùs appellat Tertull. cont. Prax. ejusdem numero infinitæ & indivisæ essentiæ cùm Patre participem; præsertim cùm in Paræn. Apolog. Dialogo, nec non libro de Monarch. Dei, unum solùm verum esse Deum disertissimè profiteatur. Justini igitur *aliud & aliud* personarum tantùm in Trinitate distinctionem indicat, non Deorum pluralitatem aut essentiæ diversitatem. Sed excipis. „ Agnoscis igitur vanitatem Axiomatis „ Theologici *In Trinitate alius & alius, non aliud & aliud.* Iterùm respondeo, Axioma illud vanitatis non accuso, sed multùm dubito an Justinus cùm hæc scriberet regulam illam in animo haberet. Vanissimum sat scio est Patrum scripta ad Scholasticorum Axiomata seu Phraseologiam redigere. Ego certissimè credo Justinum non magis idem cum Ario credidisse quàm Hilarium, qui tres in Trinitate substantias disertè agnoscit. Nihil certius quàm Patres nonnunquàm cautè minùs & securiùs locutos esse, quorum verba, ut ipse alicubi optimè doces, in sensum deteriorem torquere (contra fidei Christianæ regulam & principia notissima aliis in locis clarissimè agnita) cùm commodiorem ferre possunt, laudabile non est. Hunc in finem illa à te suggillata attuli, ut Justini verba in commodiorem quem ferre possunt sensum suumque revocarem. Quis nescit ἕτερόν τι non modò rebus sed personis iisquè masculini generis sæpissimè accommodari? ut ipse alibi scribit Justinus noster, οὐκ ἔγνωσαν Ἰουδαῖοι τί Πατῆρ, Quibus reponis, „ Quid

„ hæc

„ hæc ad rem? τίς quærit de individuo, τί de naturâ seu essen-
„ tiâ. Mira responsio, cujus contrarium ex verbis jamjam ad-
ductis manifestè patet. Quid enim? Num tibi Pater aut Fi-
lius essentiam denotant? Nonnè potiùs, ut universi sentiunt,
individua aut personas? De his non τίς sed τί scribit Justinus.
Pergis. „ Quis negat Patrem esse aliquid aut Filium esse aliquid,
„ i. e. eos habere naturam seu essentiam? Optimè. Hoc est quod
vellem. Si igitur Pater ut Pater est *aliquid* non minùs quàm
aliquis, nihil obstat quin verè, quanquàm minùs propriè, scrip-
serit Justinus, Filium ut Filium non modò *alium* sed *aliud* quid
esse; licèt non Deum alium, à Patre distinctum. In eundem
planè modum loquitur Tertull. cont. Prax. *Ipsum quod Pater &
Filius dicuntur nonnè aliud pro alio est?* Qui tamen eo in loco per-
sonarum tantùm in SS. Trinitate distinctionem propugnat, non
essentiæ diversitatem. Regeris, „ Ego vim consequentiæ
„ non aliter intelligo quàm si diceres de duabus personis eun-
„ dem numero essentiam habentibus, licitè dici posse eos diver-
„ sas essentias habere, quia de iis dici potest eas essentiam ha-
„ bere: cùm mihi persuasissimum sit minimè dici posse aliud ab
„ alio de uno individuo, de individuâ Trinitate, de uno Deo,
„ de unâ numero substantiâ.

His respondeo, Patrem & Filium in abstracto consideratos non modò essentiam habere, cùm aliquid sint, sed inter se di-
versam; cùm Pater contra Sabellium non sit Filius; nec Fili-
us Pater. Habent igitur, ut tales, quod ipse fateris, essen-
tiam distinctam, ac proindè cùm entia aut aliquid sint aliud &
aliud aliquo sensu dici possunt. Fateor de uno individuo, de
uno Deo, de unâ numero substantiâ quâ tali haud licitè dicas
esse aliud ab alio; sed de Trinitate seu tribus individuis aut
personis in unâ eâdemque numero substantiâ aliter seres habet,
cùm essentia Patris, ut talis, & Filii, ut talis, diversa sit, (li-
cèt quoad Deitatis substantiam identificentur) imò relativè
opposita. Trinitas enim *quanquàm individua sit, individuum tamen non est, quod implicat.* Cùm igitur subjungas, „ Si Justinus
„ unquàm credidisset Filium & Patrem esse unicum Deum,
(quod sub personâ licèt Ariani apertè nimis indicas te minimè
„ credere) & habere eandem numero substantiam, nunquàm
„ dixisset Patrem & Filium esse aliud & aliud; ut gratis di-
„ ctum transeat. In eo falli videris quòd minùs advertis in eâ-
dem numero divinâ substantiâ inesse tria *consequentia* realiter di-
versa. Nec ego, quod tu autumas, indè infero duas personas
eandem numero essentiam habentes; ideò, quia aliquam vel
eandem essentiam numero habent, diversam habere, sed ra-

ſione diverſimodæ ſubſiſtentiæ; cùm quælibet perſona in eâdem numero ſubſtantia propriam habeat eſſentiam ſeu perſonalitatem à cæteris diverſam. Fateor equidem (ut calumniandi anſam præripiam) me non libenter phraſi illa, Patrem & Filium eſſe aliud ab alio, eſſe jam temporis uſurum; conſuetudini enim aliquid concedendum puto, quam penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi. Nihilominùs aſſero hoc aliquo modo recto & ſano ſenſu intelligi poſſe, quià Pater & Filius quanquàm ὁμοούσιοι ſint, h. e. eandem numero ſubſtantiam ſortiantur, tamen relative, vel ut perſonæ diverſæ diverſam habent, cùm aliquid ſint, non *ſubſtantiam* ſed *eſſentiam*. Aliud autem & aliud parùm aut nihil diſtat ab aliquid & aliquid præſertim ſi de diverſam, imò relativè oppoſitam, eſſentiam habentibus loquamur. Quicquid enim aliquid eſt aliquam eſſentiam ut ipſe ais habeat neceſſum eſt nè nihil non ſit, & ſi ab alio differat, ut Pater à Filio, diverſam. Hoc ſanè ſenſu, nec alio, fatìs certus ſum Juſtinum ſcripſiſſe Patrem & Filium eſſe aliud & aliud; non ut unitatem diviæ ſubſtantiæ in plures Deos numero vel ſpecie differentes, ſubordinatos vel co-ordinatos (quod purus putus Ethniciſmus eſt) divideret, ſed perſonarum tantùm in divinâ ſubſtantiâ diſtinctionem clariùs exprimeret. Hinc in Dialogo totiès aſſerit *alium*, h. e. aliam hypoſtaſin, ab eo qui cuncta creavit Deo diſtinctam à S. Scriptura Deum appellari & reverà eſſe. Nè verò putaret aliquis Virtutem iſtam, quam Deum ſermo Propheticus vocat, nomine tantùm diverſam numerari, (quod poſteà Sabellius docuit) aliud quiddam eſſe ratione exquiſitâ ſuprà paucis explicui. Hæc, vel in hunc modum, Juſtinus. Cùm igitur S. Martyr aſſerat Verbum aliud eſſe à Patre, hoc tantùm voluit non eſt ut Solis lumen accidens, ſed ſuppoſitum ſeu perſona viveris & rationalis ab eodem non tàm ſolo nomine quàm reâpſe diſtincta.

Cùm ſcripſiſſes „Romanam Eccleſiam eſſe noſtræ Britan„nicæ radicem. Reſpondi pluſquàm probabile eſſe fidem Chriſtianam priùs apud Britannos quàm Romanos radices egiſſe, nimirùm Joſephi Arimathei operâ. Reponis. „ Joſe„phum Arimatheum Britannis Evangelium prædicâſſe, fabu„loſo tibi niti videtur fundamento. Ità ſanè tu ſentis. Audi igitur quid refert Gildas Britannus, Autor antiquus, cognomento Sanctus & Sapiens, Libro de Excid. Britan. *Glaciali*, inquit, *frigore rigenti Inſulæ* (de Britanniâ agit) *Chriſtus ſuos radios* (h. e. Evangelii) *indulget tempore ut ſcimus ſummo Tiberii Cæſaris*. Adverte, Non opinatur, non ex conjecturis divinat hic noſter

Sapiens

Sapiens (ut Spalatensem refugam alloquitur Crakenthorpius noster) sed scimus, inquit, Britanniam tunc Christi fidem imbibisse. Summum Tiberiani imperii tempus incidit in annum Christi 39, aut circitèr. Natalitia verò Rom. Ecclesiæ juxta Baronii Chronologiam in annum 45. Hinc discas Rom. Ecclesiam Britannicæ nostræ non radicem aut Matrem esse, sed Sororem, integro quinquennio natu minorem. His accinit Polidor. Virgil. Hist. Lib. 2do, ubi ait ab initio orti Evangelii Britanniam fidem recepisse, Josephum autèm Arimathæum primùm Evangelium Britannis prædicasse non solùm Capgravius, Guliel. Malmsbur. & post hos Papir. Massonius & Bozius, sed ipsa Glasconensis Ecclesiæ à Josepho fundatæ antiquissima & fidelissima monumenta testantur. Utinàm cùm hîc apud nos Oxoniæ peregrinares (*aliis omissis*) Glastenburiam seu Glasconiam adiisses, ubi, ut apud Cambdenum, nî fallor, legisse me memini, non ità pridèm rudera remansère Sacelli S^ti Josephi memoriæ consecrati, quem primùm Evangelium Britannis prædicâsse traditio est eò loci pervulgatissima. Undè locus ille à Majoribus nostris dictus, *Prima terra Dei, prima Sanctorum terra in Angliâ, Mater Sanctorum*, &c.

Sed posteà, inquis, „ ipsa quasi surculus insita est in arbo„rem Ecclesiæ Rom. Augustini Monachi operâ. Quid si de Anglo-Saxonibus illud tibi concederem? nullo modo inde probare poteris *Britannos* à Romanâ Ecclesiâ primitùs Christi fidem recepisse? Cujus contrarium duo sunt quæ plusquàm probabile reddunt. Primum, quià Britones in celebrando Paschate minimè Ecclesiæ Romanæ sed Orientalis morem secuti sunt. Quod manifestum nimìs argumentum est eos neutiquàm à Romanis fidem Christianam à primâ origine accepisse. Secundum adhùc luculentius est, Britannos Romani Pontificis Primatum, Augustino incassùm admitente, nullo modo agnovisse. Quorum utrumque apud Bedam in Hist. Eccles. optimè testatum legas, lib. 3. cap. 24. lib. 2. cap. 2. & 27. Consulas etiàm Spelmann. de Conciliis Vol. 1. pag. 108.

Post pauca addis, „ Ità Anglia Hæresi Montanista„rum infecta est, primitivâ Ecclesiâ fugiente in desertum; scil. ut Ariana olim, te fatente v. Nucleum l. 2. in fine sub Theodosio in fine seculi quarti, de quo tantoperè gloriaris. Sed quid illa sibi volunt haud intelligo. „ Ità Anglia Hæresi „ Montanistarum infecta est. Nùm Anglia Hæresi Montani à Romanis infecta est? Hoc primùm à te didici. Nonnè Montani fides de Trinitate fatente teipso Catholica erat?

Porrò ais, „ Pontificios non sine plausibili ratione, secun„dum

„dum principia vestratium primum Schismatis & rebellionis „in Angliâ (quâ invecta est illa Ecclesia Anglicana quam vos „ Catholicam appellatis & tamèn vix extra Angliam solam „agnoscitis) Autorem statuunt Henricum 8, hæreseos Edo„vardum 6. Causa Apostasiæ Polygamia. Sed manum, inquis, „ex hoc ulcere.

Hæc tu ut personatum non tàm Arianum quàm Jesuitam potiùs decuit. Nùm Ecclesia Anglicana ità se Catholicam appellat ut intra limites solius Angliæ includat? Nonnè transmarinas Protestantium Ecclesias, ut ut in externo regimine vel ceremoniis quibusdam à nobis discrepantes, ut vera nobiscùm Ecclesiæ Catholicæ membra amplectimur? Nùm vel plausibili ullâ ratione *secundùm nostra principia* Pontificii secessionem à Romano Pontifice legitimâ omnium ordinum autoritate factam, Schismatis, Apostasiæ & Rebellionis, aut doctrinæ Papismi fermento corruptæ reformationem Hæreseos juxta te meritò arguant? Viderint Protestantes transmarini, præsertim Amstelodamenses tui quibuscum diversaris, an non hæc in te animum irâ, odio vel invidiâ exulceratum prodant. Sed minimè opus est, nec Epistolæ angustia patitur ut ego jàm Ecclesiæ Anglicanæ vindicias suscipiem. Habuit illa, &, Deo gratias, etiamnùm habet, Viros omni literarum genere exornatissimos qui Reformationem Anglicanam contra te & universum Pontificiorum commilitium & defendèrunt hactenùs &, Christo auspice, defensuri sunt. Sed manum de tabulâ. Præstat enim hâc in causâ, ut ille olim de Carthagine, tacere, quàm pauca dicere. Memento tantùm te ultimæ meæ quæstioni nondùm responsum dedisse; Cujus tu arboris, h. e. Ecclesiæ, te surculum profiteris? Num διάφαλος es, vel in Religione Scepticus aut Scenicus? Pergamus.

Scripsi me dubitare utrùm Pontificiis Hæresis sit humanitatem Christi ignorâsse Diem Judicii. Tu asseris. „Propterea „enim, inquis, ut Hæretici condemnati sunt Agnoetæ & Fœ„liciani. Respondi, Agnoetæ condemnati sunt non quià humanæ sed divinæ Christi naturæ ignorantiam attribuèrunt, quemadmodùm ipse doces Nuclei pag. 290, nec non Nicephor. lib. 18. cap. 30. Quid reponis? „Antiquum obtinens „ais te sub personâ Ariani ex solis Victore Tunnunensi, Gre„gorio P. cùm sex aliis id probâsse. Alii omnes, addis, quod „iciam, de humanitate id dicunt. Benè habet. Si alii omnes, tùm & tu ipse: aliud igitur sentis & aliud scribis. Nùm octo autores contra alios omnes idonei satìs sunt ut Agnoëtas hâc in causâ Hæreseos condemnent? Multa insuper ex Alcuino

&

& Agobardo transcribis, in quibus nè verbum de Hæresi. Num omnis error tibi Hæresis est? Expectabam ego Concilio alicujus definitionem. Quæ verò ex Concilio Alexand. contra Nestorium producis, Fœlicianos aut Agnoëtas minimè feriunt. Quis enim dubitat alia in Evangeliis ad divinam, alia ad humanam Christi naturam esse referenda, modò eas minimè divellas & cum Nestorio separes. Num divina Christi natura crucifixa aut mortua est? Hoc Hæresin non modò olere sed esse ipse opinor minimè dubitas; nisi tibi ut Trinitas ità Hypostatica naturarum in Christo unio mysterium non modò imperceptibile & inenarrabile, sed etiàm incredibile sit. Qualescunque autèm fuerint præmissæ conclusionem tuam amplector, Non poteris, inquis, posthàc dubitare quin Pontificii sentiant humilitatem Christi ignorâsse diem judicii. Quorsùm igitur suprà contendis Pontificiis Hæresin esse humanitatem Christi diem illum ignorâsse?

A te quæsitum est, Utrùm duo in Christo intellectus & voluntates fuerint, vel unus. Respondebam, Duo. Num hinc colligas intellectum Christi humanum fuisse omniscium? Indè verò ità argumentaris, „ Si duo ob duas naturas, tùm in Tri„nitate ob unam naturam unus intellectus & voluntas. Quid „indè? Ergo, inquis, voluntas Patris generandi activè erat „in Filio antequàm nasceretur. Quid hoc, oro, attinet ad cognitionem diei judicii in Christo juxta humanam naturam? Num voluntas cognoscit? Respondebam insuper nodum hunc non esse Delphicum ut egeret gladio Alexandri. Num ignoras nodum Gordium fuisse Delphis repositum? Sed ad rem. Eodem argumento, inquam, probare poteris Solomonem non fuisse ejusdem essentiæ cum Patre suo Davide, quià voluntas generandi non erat in Solomone antequàm nasceretur. Regeris, Aliquid dixisses si ità scripsisses, „ Eodem argumento „probare poteris Solomonem non habuisse eandem numero „voluntatem cum Patre suo Davide, quià voluntas generandi „activè non erat in Solomone antequàm nasceretur, vel non „fuisse ejusdem numero essentiæ seu substantiæ.

Sed miror V. D. te nondùm advertere simile non esse idem, nec eandem esse essentiæ infinitæ & finitæ rationem. Generatio Filii Dei & Solomonis immensùm distat. Quod ipse inferius de incarnatione Verbi scribis, idem ego ejusdem ab æterno generationi meritò applicem. Magnum Mysterium est. In eo τὸ quomodò tibi explicare nequeo. Fidei simplicitate contentus assentior iis quæ veritas ipsa dixit & τὸ ὅτι credo. Ego item juxta Scripturam & Catholicæ Ecclesiæ

definitionem

definitionem sentio eandem non modò specie (ut tu sub personâ licèt credere videris) sed numero essentiam divinam, cùm infinita & rationi humanæ incomprehensibilis sit, posse sine ullâ contradictione nisi apparente tantùm, pluribus personis numero distinctis revera communicari. Nùm Davidis essentia infinita erat? Cur igitur simplicitate fidei contentus Scripturæ assensum non præbes apertissimè docenti, Christum esse Deum æternum, immensum, omnipotentem, omniscium, nec tamen plures esse Deos sed unicum. Tu disputa, ego credam. Properemus ad rem controversam. Christus ipse, ais, testatur diem judicii nè sibi Filio hominis Notum esse. Mar. 13. 32. Rectè: Sed eo in loco non dicit se *absolutè* (ut tu suprà Clementi Alex. respondes) & simpliciter ignorâsse, ac proindè rectè sentire licèat eum de seipso ut homine seu *Filio hominis reduplicativè & quatenùs tali* locutum esse; præsertim cùm alibi se omnium rerum scientiâ pollere asserat; nec nobis de verbis S. Scripturæ sed de vero sensu, ut nôsti, lis est. Cùm igitur reponas me ad *conclusionem* respondere nihil dicis. Argumentum tuum si in syllogismi formam reducás hujusmodi est. Qui nescit diem judicii is non est, cùm omniscius non sit, essentiâ seu substantiâ Deus Patri consubstantialis & coæqualis, Sed Christus nescit &c. Ergo Majorem concedo; Nego Minorem esse simpliciter veram. Christus enim non dicit se *simpliciter & absolutè* nescisse, sed potiùs ut Filium non *Dei* sed *hominis*, seu juxta naturam humanam ejusque naturalem facultatem non omnia, inter alia diem judicii, sciviſse, quod concedimus & ex locis a te allatis liquidò constat. Divinam autem Christi naturam aliquid ignorâsse blasphemum est & Dei majestate summè indignum, à quo omnis imperfectio procul amovenda. Urges. „ Controversiam non esse de veritate aut falsitate rei ipsius, „ vel de eo quod Irenæus scribere debuerit vel non, sed id „ tantùm inculcavi, inquis, Irenæum propterea idem cum Ario „ sensisse quià idem cum Ario scripsit. Memineris autem quòd tu ut leve, opinor, intactum præteris Irenæum eòdem loci scribere, *Christum cum Patre in omnibus communicare.* Si in *omnibus* etiàm in scientiâ seu omniscientia. Est igitur quatenùs Dei Filius & Deus ut Pater omniscius, qui verò omniscius est nihil ignorare potest, ac proindè nec diem judicii. Non dices, opinor, Christum secundùm Irenæi sententiam juxta naturam humanam cum Patre in omnibus communicare, quod hæreticum esset & blasphemum. Filius interim *ut incarnatus* rectè Irenæo Deo Patre minor est, imò, aliquo modo ut Verbum seu Dei Filius, quià licèt naturam habeat in omnibus essen-

tiæ

tiæ divinæ perfectionibus cum Patre communem eandemque, ac proindè æqualem, eam tamèn habet à Patre modo planè, ut suprà loqueris, imperceptibili & inenarrabili communicatum; quanquàm enim Deus est, non tamèn à seipso ut Filius est, sed à Patre originem trahit.

Sententiam meam probavi ex Joan. 16. 30. *nunc scimus te scire omnia*, & Joan. 21. 17. *Tu omnia nosti*, scil. Christum esse omniscium. Respondes „ Christum θεάνθρωπον unam personam, „ cujus est scire vel nescire, in assumptâ humanâ naturâ (quæ „ non statuitur persona) quædam nescivisse, probatur propter „ evacuationem seu exinanitionem qualitatum naturæ divinæ „ ex locis Novi Testamenti quos recenses, quæ sunt verba „ Christi vel Apostolorum θεοπνεύστων. Hæc, pace tuâ V. Cl. dictum sit, nova mihi & planè paradoxa Theologia est, Grammatico potiùs quàm Theologo digna. Nullo modo concèdendum est ullas esse aut esse posse in divinâ essentiâ, cùm simplicissima sit, qualitates aut accidentia. Quod probatur. Quià omne compositum ex aliis, ab iis perficitur ut principiis suis componentibus & in eà dividi vel resolvi potest. Sed divina essentia cùm absolutè in se perfectissima sit perfici ab aliis nequit, nec in ea resolvi, cùm æterna & immutabilis celebretur. Dein, supponamus, falsò licèt, esse in divinâ essentiâ qualitates ullas vel accidentia, animadvertendum est qualitates hasce ut dicuntur omniscientiam, omnipotentiam, &c. esse accidentia à Dei naturâ planè inseparabilia. Si igitur, quod fateris, Christus in statu humiliationis fuerit θεάνθρωπος i. e. Deus & homo in eàdem personâ, necessariò omniscius statuendus est. Deus enim quisquis fuerit optimus & maximus, infinitæ planè perfectionis ab omnibus naturæ seu rationis lumine dictante agnoscitur. Ubi verò infinita natura est, ibi infinita scientia locum habet. Si igitur Christus incarnatus tanquàm *Deus* aliqua ignoraverit imperfectus Deus erat, & si imperfectus planè nullus verè & propriè sic dictus. Falsum insuper & impossibile est ut Christus quem Deum priùs fuisse fateris assumendo naturam humanam divinam suis propriissimis & inseparabilibus perfectionibus, inter quas omniscientiam numeres, ullo modo evacuaret, aut, ut tu fingis, exinaniret. In Deo enim, ut rectè Tertullianus, periculum statûs nullum est. Christus assumendo quod non erat, scil. carnem nostram, neutiquàm amisit quod priùs erat. Illud autèm nullo modo neglectui habendum est, te hîc concedere Christum saltèm ante incarnationem, fuisse verè Deum & qualitatibus, ut appellas, divinæ naturæ imbutum, ac proin-

de omniscium. Sanè qui exinanivit seipsum priùs plenus & perfectus Deus erat: cùm verò divina essentia immutabilis sit, quod unquàm erat semper erat & nunquàm non erit. Humanam Christi naturam personam esse, ut Nestorius docuit, minimè credimus. Veruntamèn quæ utriusvis naturæ propria sunt eidem Christi personæ rectissimè attribui quis iverit inficias? Si igitur humana Christi natura diem judicii ignoraverit, ipse seu persona illa quæ Deus erat ejusdem respectu eum reverà nescìit. Jàm loci illi quos ex Novo Testamento producis ut fidem facias Christum *absolutè* & *simpliciter* diem judicii ignorâsse examinandi restant. Primus habetur Luc. 1. 80. Qui manifestè humanam tantùm Christi naturam respicit. *Puer autem crescebat & corroborabatur spiritu.* Nùm divina in Christo natura ullo modo crevit, aut corroborata est? Alter, Heb. 2. 17. *In omnibus nobis similis peccato tantùm excepto*, contra te militat. Si enim Christus juxta humanam naturam in omnibus excepto peccato nobis similis erat, quædam, ut nos, nescìit, nec enim non omnia scire homini peccatum est. Hoc nos volumus, scil. Christum ut hominem nonnulla ignorâsse. Non putas opinor Christum juxta divinam ejus naturam esse nobis similem. Idem responsum cæteris applices Joan. 11. 34. Luc. 24. 17. Joan. 21. 16, 17. quorum nullus probat Christum secundùm *utramque naturam* ea de quibus mentio fit nescìisse, sed humanam tantùm; nec omnis quæstio ignorantiam sempèr arguit, sed nonnunquàm tentamen seu probationem tantùm ut Joan. 6. 5. manifestò patet.

His præmissis ad loca à me allegata, scil. Joan. 16. 30. & 21. 17. respondes, „Priora verba esse Discipulorum, posteriora „Petri, utraque prolata cùm nondùm erant διόπτευσιν, adeo„que nihil ex iis probari posse. Quibus repono, me loca illa inter multa alia citâsse ut præ cæteris notissima. Audi jàm Christum quem non negabis, opinor esse διόπτευσιν. *Ego scrutor renes & corda* Rev. 2. 23. Qui καρδιογνώστης est omnia novit, cùm corde hominis nihil cognitu difficilius sit. *Quis noscit cor hominis fraudulentum? Ego Dominus cor scrutor.* Jer. 17. 10. Hæc divina majestatis prærogativa est. Ausculta etiàm Paulo Apostolo διοπτίνσιν Col. 2. 39. *In quo* (i. e. Christo) *omnes thesauri sapientiæ & cognitionis reconditi sunt. Imò in quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Si omnis plenitudo Deitatis, si omnes sapientiæ & cognitionis thesauri in Christo inhabitant, necessariò consequitur eum esse omniscium. Alibi 1 Cor. 1. 24. appellatur Dei sapientia. Nonnè sapientia Dei omniscia est? Facilè esset plura superaddere. Dein, Quanquàm supponamus

mus Apostolos non fuisse cùm hæc dicerent divinitùs inspiratos, nùm indè sequitur nihil ex iis probari posse? nùm testimonium humanum nisi infallibile sit nihil probat? Quorsùm igitur tu ipse simili loco Joan. 9. 2. non tanquàm autoritate divina, sed humano testimonio usus es? Imò, quorsùm Patrum, qui ut Apostoli ipsi in aliquibus errârunt, nec infallibiles erant, sententias proferimus? humanum enìm testimonium, cùm fallibile sit, juxta te nihil probat. De Cichovio Pontificio alii viderint. Quod ad Bisterfeldium attinet, (quem Vestratem Theologum, utpote Doctorem reformatum, appellas) ipse sui vindicem aget. Ità enim loco à te citato scribit. Etsi Christus, quà Deus est, non minùs est invisibilis quàm Pater: si invisibilis is dicatur qui oculis corporeis videri nequit, tamèn quatenùs vox invisibilis generaliùs sumitur pro eo qui per seipsum non tàm planè & perfectè cognosci potest, Pater est invisibilis, Christus autèm, etiàm quà Deus est aliquo modo visibilis. Filius enim est naturalis Patris λόγος, cujus proprium est esse Patris interpretem, seque patefacere. Hactenùs Doctor iste, ut contemptim vocas, reformatus; undè perspicuum nimìs est quàm ingenuè Bisterfeldium allegâsti, qui neutiquàm de oculis *corporis* sed *animi* disserit.

Quæ deincèps prolixè satìs de assumptione personæ Ariani subjungis, ut nobis persuaderes te id egisse (quod suprà jàm satìs vidimus) in usum Protestantium (quorum sacra, h. e. cultum, & fidem ab Apostolorum temporibus viguisse hoc in loco apertè nimis negas) & contra Pontificios, ut eorum principia falsasque Ecclesiæ notas, amplitudinem scil. fælicitatem, miracula &c. funditùs everteres, haùd immeritò prætermittere possem. Veruntamèn brevì respondeo te opere tuo Christianæ & verè Catholicæ fidei principia labefactâsse & concussisse. Periculosæ enìm res aleæ est articulum ullum fidei ut ut S. Scripturæ autoritate satìs probatum & munitum, Patrum primorum Seculorum suffragiis orbare, cùm videamus quàm subtilitèr & astutè hæretici omnes divini Canonis verba eaque clarissima in privatum suum sensum pervertant & distorqueant. Imò verò, quòd minùs forte advertis, dùm probare satagas omnes antiquos Patres (quod in libro tuo asseris, hìc verò negas) idem cum Ario docuisse propriam sylvam cædis. Quamplurimi enim Lectores multò facilius indè credituri sunt Arianos fuisse Catholicos quàm Protestantes Orthodoxos: quo suppositio omnia argumenta tua quibus Pontificias veræ Ecclesiæ notas convellis in nihilum recidunt, cùm in eo eorum vis & virtus consistant quòd Arianorum Ecclesiæ veræ non fuerunt, sed falsæ & hæreticæ, quas

tu veras, orthodoxas & Catholicas fuiſſe remis veliſque contendis.

Scribis Auguſtinum judicare parùm convenientem rationem eſſe & Sabellianiſmo vicinam ex æternitate Sapientiæ Dei Filii æternitatem concludere. De Trin. lib. 6. cap. 1. Reſpondeo Auguſtinum eo in loco Sabellianiſmi mentionem neutiquàm facere. Verum enim verò quid ſi totum concederem, nihil indè proficeres. Sivè enim ratio illa parùm conveniens ſit, an non; negari non poteſt Athanagoram, Origenem, Tertullianum, cum aliis eâ uſos fuiſſe ut indè Filii Dei æternitatem probarent; quod mihi ſufficit. Ego ſanè nullus credo omnia Patrum argumenta vel in hoc vel aliis fidei Chriſtianæ articulis ſemper fuiſſe apodictica ſeu demonſtrativa. Satis eſt ſi concluſionem, h. e. Filii Dei æternitatem crediderint contra Arii ſententiam.

De Clemente Alex. agens ſcripſi. Utinàm clariùs explicuiſſes qualem Patris Filii & Spiritûs S. coeſſentialitatem agnoſcis, vel antiquos Patres credidiſſe exiſtimas, genericam, ſpecificam (quam alibì ſcribis Arium haud diffiteri) aut numericam. Rectè ſanè nec ſine cauſâ. Si enim *numericam* agnoſcas, Arianus, ut ſatis conſtat, eſſe non potes, nè perſonatus. Si tantùm *ſpecificam*, quod ſuſpicor, pluralitatem Deorum cum Gentilibus, Valentino Gentili, Curcellæo & Tritheitis introducis. Tu verò ſub Ariani perſonâ tanquàm Orci galeâ delitescens, nihil aliud reſpondes quàm Filii generationem ex Deo tibi inenarrabilem eſſe. Imò verò & mihi: Credo interim Filium Dei cùm propriè, ἰδιῶς ut loquitur Juſtinus, Filius ſit, non ex nihilo factum ſed ex Dei ſubſtantiâ modo incomprehenſibili genitum eſſe, quod & Ariani tui in Generalibus eorum Conciliis, ut ſuprà vidimus, agnoſcunt. Haud opus igitur eſt ut tuam de eâ quæſtione ſententiam nobis explicares.

Sub Origene ſcripſi Arianos Patrum ſententiæ in finiendis hiſce controverſiis acquieſcere minimè conſenſiſſe, quam in rem Socratem & Sozomenum ut teſtes optimos allegavi. His reſpondes, Ex Socrate & Sozomeno id de Arianis minimè liquere, mihique R. D. Tayleri verba opponis. Judicet inter nos Lector æquus. Socrates lib. 5. cap. 10. in hunc modum ſcribit. Dum Ariani (*nota*) ab Eccleſiis exturbabantur tumultus exorti ſunt. Theodoſio igitur — Concilium omnium Sectarum (ergo Arianorum) cogere laboravit. Dein cum Nectario Epiſcopo ſermonem contulit quâ ratione Eccleſia poſſet ad unitatem reduci. Nectarius Siſinnium (Novatianum, ſed in Trinitate Catholicum) hac de re percontans, is conſilium dedit ut roga

rentu

rentur hæreticorum Principes utrùm aliquam rationem ducerent priſcorum Doctorum qui ante ſchiſma probè Eccleſiam rexiſſent. Hæc cùm Nectarius à Siſinnio audiviſſet Imperatorem conſilii participem facit. Ille avidè amplectitur & abiis (inter quos Ariani) Principibus ſectarum quærit utrum Doctorum qui ante Eccleſiæ diviſionem fuerunt ullam ducerent rationem eoſque approbarent necne? Ac cùm illi id ipſum non inficiarentur —— ſciſcitatur denùò utrùm illorum velut (quod nota) fidelium doctrinæ Chriſtianæ teſtium veſtigiis inſiſterent. Quibus auditis, Sectarum Epiſcopis (non, ut tu velis, Eunomianorum tantùm) incertum erat quid agerent. Etenim ſinguli (Ariani igitur etiàm inter alios) in ſingulas prope diſtrahebantur ſententias, dùm alii Imperatoris inſtitutum præclarè ſe habere, alii illud ſuo ipſorum propoſito (h. e. Hæreſi) adverſari dicerent, nàm diverſa erat cujuſque de Veterum libris ſententia. Ac non ſolùm variarum Sectarum varia fuit opinio, ſed (quod maximè notandum) qui unam eandemque Sectam ſequebantur, (ſcil. Ariani) hi inter ipſos diſſenſerunt. Quocircà conſentiens illorum malitia velut lingua veterum Gigantum diviſa fuit, &c. Imperator verò cùm intelligeret multiplicem eorum diſſentionem, & quod non Veterum de fide expoſitione ſed ſolâ diſſerendi ſubtilitate confidebant ad aliud Conſilium (quod infrà habes) confugit, &c. Similitèr in eundem modum ſcribit Sozomenus Hiſt. lib. 7. Cap. 12. Hoc tempore Eccleſiæ Catholicæ fautoribus templa recuperantibus in multis locis tumultus oborti ſunt, quòd Ariani (nota) ſe illis opponerent. Hinc Theodoſius vigentium tùm Sectarum anteſignanos convocavit —— quæſivit an veterum Doctorum interpretationibus ſeu dictis in finiendis quæſtionibus ſtaturi ſint & ſatiſnè locupletes doctrinæ (non ut tu vitilitigas Judices infallibiles, ſed) teſtes eſſe judicent? Orta & circa hanc rem inter Sectarum principes (h. e. ut infra ſcribit pro Arianâ hæreſi Demophilum, pro Eunomianis Eunomium, pro Macedonianis Eleuſium) diſſenſione (neque enim conſimilitèr ſinguli de Veterum libris ſentiebant) advertit Imperator quòd nudis privatarum opinionum altercationibus nixi definitum aliquid (ſcil. de Patrum libris) pronunciare detrectarent. Quamobrèm damnatâ hâc illorum (h. e. omnium Sectarum Principum tam Arianorum quàm Eunomianorum) pervicaciâ, juſſit ut unaquæque Secta (inter alias Ariana ſub Demophilo) doctrinæ ſuæ libellum ipſi porrigeret dijudicandum, &c. Nonnè hinc luce ſolari clarius eſt Arianos etiàm cum Eunomianis Patrum ut locupletibus veritatis,

tis, non Judicibus infallibilibus ſed teſtibus acquieſcere minimè conſenſiſſe, imò pariter detrectâſſe? Quod addis, Arium & Arianos gloriatos eſſe de conſenſu Veterum Patrum, cùm inanis gloriola ſit, tranſeat. „Ipſe de Juſtino, Athenagorâ, Tatiano, Tertulliano, Novatiano & Lactantio contra„rium fateris; ſcil. *eos τὸ ὁμοούσιον probaſſe contra Arii ſententiam.* Clementem inſuper Alex. Origenem, Dionyſium Rom. Tertullianum & Novatianum Joan. 10. 30. de *unitate ſubſtantiæ* interpretatos fuiſſe ex eorum verbis in libro meo allegatis confirmatum dedi. Quod Origenem ſpectat, Vide pag. 75.

Quod ad Tertulliani locum contra Hermogenem, de quo Ariani tantoperè gloriantur, attinet, *Fuit tempus cùm delictum & Filius non fuit,* &c. Reſpondebam Tertullianum minimè de æterno Dei Filio ejuſve generatione, ſed de mundi creatione tractare, & de rebus in tempore initium ſumentibus, ut *Judicis* & *delicti* verba apertè ſatis indicant. Nec ſanè video quorſùm tu verba illa in Arianorum gratiam allegares. Nonne, ut ſuprà notatum eſt, diſertè negant, idque in Conciliis eorum generalibus, Filium poſt tempus vel in tempore initium ullum habere, & eos qui dicunt aliquandò non fuiſſe anathemate mactant? Locus igitur ille Arianos non minùs quàm nos premit, niſi de Filio ſeu Filiis Dei improprie ſic dictis & in tempore factis intelligatur. Haud igitùr operæ prætium æſtimo ea quæ prolixè & pompaticè adeò objicis, ut veritati tenebras offundas, in medium producere. Sed age, videamus quid valeant, ne ut irrefragabilia magni facias. Agnoſcis imprimis „Hermogenem ſtatuiſſe *& verbum & materiam eſſe Deo* „*co æterna.* Dein, Si Hermogenes, inquis, credidit Deum „ſemper fuiſſe Patrem, ſtatuit utique Deum habuiſſe ab æter„no Filium. Rectè. Quis dubitat? Pergis. „Tu duos „Dei Filios agnoſcis, Filium proprium & Munduu. Ità ſanè, nec immeritò. Nonnè Deus mundi, Angelorum, hominum, præſertìm fidelium, Pater eſt? Horum reſpectu non *ſemper* erat Pater, utì nec *Dominus* aut *Judex.* Hæc igitur, iterùm repeto, Unigeniti Dei Filii generationem inter Catholicos & Arianos agitatam, nullo modo ſpectant. Sed illud fortè tibi magno argumento eſt me falli quòd ſcripſerim Hermogenem credidiſſe Deum ſemper fuiſſe materiæ Patrem, quam ille ingenitam & innatam eſſe docuit: Quod verò innatum eſt Filius eſſe nequit. Reſpondeo te largiri Deum juxta Hermogenem ſemper materiæ Dominum fuiſſe, innatæ licet, ingenitæ & inconditæ. Quo jure igitur Deus materiæ minimè à ſe factæ aut creatæ ſed ſibi co-æternæ & co-æqualis

Dominus

Dominus erat, eodem & Pater esse potuit? Utrumque sanè falsò & absurdè, ut loquacem Hæreticum decuit: sed quid meâ refert si Hermogenes rectè minùs argumentatus est?

Post pauca Tertullianum introducis ita contra Hermogenem ratiocinantem. „Non absurdum est O Hermogenes di„cere Deum non sempèr fuisse Dominum, sicut non absur„dum est dicere Deum non sempèr fuisse Patrem nec sempèr „Judicem, ut tu ipse fateri compelleris; quià Deus non po„tuit esse Pater ante Filium quem tu ipse mecum statuis ini„tium habuisse. Nonnè vides V. Cl. quàm pulchrè hîc tibimetipsi (quod mihi improperas) contradicis? Suprà fateris *Hermogenem* & *Verbum* & *materiam Deo coæterna* statuisse; jàm asseris eum cum Tertulliano sensisse Filium seu Verbum *initium, idque post tempus*, habuisse. Nùm illud quod Deo coæternũ est initiũ in tempore habere potest? Quàm hæc ἀσύστατα sint tu ipse judiciũ feras. Ut omnia quàm brevissimè constringã. Juxta tuam Arianorũque, quorũ causam agis, sententiam, antiquiorẽ saltèm & communiorẽ, Filius paulò ante mundi creationem factus vel conditus erat. Quorsùm igitur de hoc Tertulliani loco ultrà litigemus? Cùm non modò tibimetipsi, quin etiàm Arianis tuis apertissimè contradicat. Nùm pùtas tempus ullum mundi creationem præcessisse? Quo pacto alitèr Scenæ tuæ inserviant verba hæc, *Fuit tempus cùm Filius non fuit*? Nonnè qui ante mundum etiàm ante tempus erat? nùm de eo rectè dici possit, *tempus erat quandò non erat*, qui cœli terræque creationem antecesserat? De hoc igitur Tertulliani loco taceat imposterùm Sandius cum suis Arianis.

De Dionysio Alex. suprà egimus. Ad Arnobium perventum est. Scripsi „Arnobium in iis quos allegas locis contra „Gentilium Deos disputare, quos ex Maris & Fœminæ com„mixtione in tempore genitos esse ipsi profitebantur. Hoc sensu negat Deum verum esse genitum. Respondes, „Arno„bium majorem suam intellexisse de Deo supremo. Quis e„nim credat Arnobium tàm stupidè, inquis, contra Gentes „argumentatum fuisse ut extemplò confundi posset exemplo „à Christo petito? Hæc minùs appositè reponis, nî fallor Cl. V. Putasnè Arnobium (de ejus enim sensu, sat scio, agitur) credidisse Christum ut Deum, imò vel ut hominem, ex maris & fœminæ commixtione genitum esse? Confundi igitur non potuit Arnobius exemplo à Christo petito, quem ut Deum ex Patre solo, ut hominem ex Matre solà, genitum extemplò asseverâsset, non quod Gentiles de Diis suis, imò de Jove ipso supremo eorum Deo, confitebantur, ex maris & fœminæ

fœminæ congressu. Hunc verum fuisse Arnobii sensum ipse nos lib. 7. aliquâ ex parte docet, Ubi in hæc verba scribit à te laudata. Si esset nobis animus scrupulosiùs ista tractare, vobis ipsis obniteremus auctoribus, minimè illum fuisse divum, qui conceptus & natus muliebri alvo esset, qui annorum gradibus ad eum finem ascendisset ætatis, &c. In priori Epistolâ respondebas Majorem Arnobii sensu fuisse universalem, quod Christum etiàm excluderet. Jàm ais Majorem illum ab Arnobio intellectum fuisse de Deo supremo tantùm, non de subordinato. Hæc probè mintùs inter se convenire quis non perspiciat? Sed quicquid tu, Arnobius alibi Deos omnes inferiores, subordinatos & naturâ difformes à supremo cum Tertulliano abnegat. * Major igitur sensu suprà dicto universalis est. Nullus qui ex maris & fœminæ commixtione genitus est Deus esse potest, sive supremus sive subordinatus. Quid quòd Jupiter ipse, qui supremus apud Gentiles Deus audit, ex Saturni & Rheæ concubitu genitus erat. His addam, Arnobium juxta te Arianos etiàm ferire, qui Christum Deum genitum imò ex Deo genitum, agnovêre, ut suprà vidimus. Neutiquàm igitur, quod gratis à te dictum est, eò omninò redigor ut statuam, vel Arnobium non credidisse Christum Deum, quod falsissimum esse tecum sentio, vel eundem distinxisse inter Deum supremum Patrem & subordinatum Filium; quin potiùs puto ego Majorem illam esse juxta Arnobii sensum universaliter veram, scil. nullum ex maris & fœminæ commixtione genitum esse posse verè & propriè Deum, vel supremum vel subordinatum, quanquàm Gentiles, quos ipse refellit, aliter opinati tecum sint. Vide quæ suprà sub Justino responsa sunt.

Quod autem verba illa attinet, „ Quod habet vitæ incipien-„ tis exordium necessariò sequitur ut habere debeat occasum, quæ ut tua ex Arnobio citavi. Si tua non sint, certe quod majus est, Arnobii sunt, quæ Arianos confodiunt, quibus Christus paulò ante mundi creationem esse incepit; ità enim contra eos argumentor. Quod habet vitæ incipientis exordium necessariò & habere debet occasum. Sed Christus Paulò ante mundi creationem habuit existentiæ seu vitæ exordium, Ergo necessariò habere debet & occasum. Vide sis quid jàm non mihi sed Christo Domino tuo, & blasphemorum Judici, respondeas. Frustrà igitur irrisoriè addis, Crediderim hîc denuò Typographum personam Ariani suscepisse. Risus hic tuus multum metuo, Sardonius erit. Ejusdem monetæ sunt quæ sequuntur. Scripsi me nonnulla ex Arnobio à te allegata minime invenire potuisse. Tandem ut comitatem tuam venditares,

ditares, En, inquis, verba Arnobii desiderata lib. 1. probat Jovem non esse verum Deum ex eo quòd habeat Patrem & Matrem, &c. Quæ sanè ipse priùs in libro meo conceptim memoravi. Nec non illa, Religiosum esse credere Deum esse ingenitum. Ingentes verò gratias! Cætera nullo nos damno afficiunt; agnoscimus enim libentissimè illum minimè quâ talem Deum esse qui conceptus & natus muliebri alvo est, ut habet Arnobius. Quod etiam de Christo Domino verum obtinet; nec enim is eâ ratione Deus erat propriè sic dictus (quicquid Samosateniani, Photiniani, Servetiani & Sociniani opinentur) sed homo tantùm, sanctus licèt. Nec diffitemur Deum Patrem omnipotentem esse solum verum Deum; ut statim videbis.

Nunc ordo tangit Lactantium de quo scripsisse te ais eum docuisse solum Patrem esse Deum summum. Dein à me quæris num & hoc verissimum sit? Respondeo maximè. Nec enim ego, ut Gentiles, plures Deos supremo subordinatos tecum agnosco. Mihi sane, ut olim Tertulliano, Pater, Filius & Spiritus S. unus, imò unicus, exclusis Gentilium Idolis, verus ac proindè summus, Deus sunt. Quâ in re Lactantium mecum idem sensisse certissimum est, cùm eodem in capite lib. 4. cap. 29. quo unum solum verum Deum prædicat, tùm Patrem tùm Filium Deum *esse unum* agnoscat. Filii autem & Spiritûs S. respectu divinæ unitatis eadem ratio est. Verba ejus ità se habent. Fortasse quærat aliquis quomodò cùm Deum nos unum colere dicamus, duos tamen asseveremus, Deum Patrem & Deum Filium? Summa responsi est. Cùm dicimus, Deum Patrem & Deum Filium non diversum dicimus, nec utrumque secernimus — una utrique mens, unus Spiritus, (nota) una substantia est. Paulò post, Filius & Pater Deus unus, quia & unus est tanquàm duo & duo tanquàm unus. Iterùm. Quapropter cùm mens & voluntas alterius in altero sit, vel potius una in utroque, meritò unus Deus *uterque* appellatur. Hinc clarissimè constat juxta Lactantium, Pater & Filius, uterque, quamvis duo, unus, non modò consensu & voluntate, ut Ariani docuêre, sed etiam substantiâ, Deus meritò habendi sunt. Plures esse non inficior h. e. personas. Illud nego plures esse, ut suprà Lactantius, Deos. Si verò unus Deus, cùm plures non sint, necessariò summus & solus. Quæ in contrariam partem ex Lactantio producis scil. lib. 1. cap. 7. nihil ad rem pertinent; eo enim in loco contra Gentilium Deos disserit, quibus cùm Dei nomen, utpotè numero, imò naturâ, diversis tribuant, illud consequenter explodunt, Deus enim, ut rectè

Tertullianus, *nisi unus sit nullus est.* Hæc nos qui unum Deum Patrem & Filium cum Spiritu S. (Filii enim & Spiritûs, ut dixi, eadem ratio est) ut unum Deum colimus neutiquàm feriunt. Nec illa de Irâ Dei Cap. 11. quæ Polytheitas perstringunt (ut quisquis locum inspexerit facilè pervideat) qui *plures tecum Deos subordinatos & natura diversos* introducunt. Pergamus.

Fateris Valentinum Gentilem uti testimoniis Patrum Ante Nicænorum ad stabiliendum Tritheismum. Rectè. Sed quod animadversione dignum est, is paulatìm in Arianismum delapsus est, ut ex Prothesibus & Confessionibus ejus, quæ extant, constat. Docuit Deum Patrem solùm esse summum & altissimum Deum, Filium & Spiritum S. non esse essentiam divinam, sed essentiæ proles ipsâ essentiâ longè inferiores, atque, ut ipse loquitur, pro modulo generationis aut propagationis definitas & circumscriptas, quæ Arianismum olent. Vide Bellarminum in Præfat. in lib. secundum de Christo & initium libri. Sed malè confundi, ais, cum Transylvanis & Socinianis Servetianos & Valentinum Gentilem. Haud omninò malè. Servetus enim lib. 3. de Trinitate juxta Socinianos docuit, Christum ante incarnationem nihil fuisse, nisi in mente Dei per idæam. Ego verò neutiquàm eos tàm ratione dogmatum confundo quam in eo quòd testimoniis Patrum Ante-Nicænorum ad confirmandas eorum Hæreses abutantur. Transylvanos (qui Bellarmino Servetiani) quædam ex Ignatio, Irenæo & Tertulliano contra Christi Deitatem protulisse apud ipsum nec non G. Valentiam de Trinitate legas. Addis. Nego Socinianos in proprio suo Articulo, scil. λόγον non extitisse ante nativitatem suam ex Mariâ & *fuisse purum hominem*, unquàm gloriatos esse de Ante-Nicænorum Patrum cum iis consensu aut saltèm non dissensu. His respondeo. Socinus (ut de Socinianis nihil jàm dicam) [illegible]rum antesignanus in responsione ad Wiekum de divinitate Filii Dei (h. e. utrùm Deus an *purus homo habendus sit*) negat Patres Ante-Nicænos vel pro adversariorum suorum sententiâ, vel adversùs suam unanimi consensu militare. Paulò pòst ità scribit. Patres ante Concilium Nicænum magis nostræ quàm suæ sententiæ repugnare, (h. e. de uno solo Deo Patre) imò maximam saltem Patrum ipsorum partem pro se & suis facere, quamvis dissentiant in sententiâ de existentiâ Filii ex ipsius Patris substantiâ ante mundum conditum. Addit ibidem speciatìm Justinum in Dialogo cum Tryphone Judæo apertè confiteri non paucos suâ ætate fuisse (quibus tamèn Justinus se minimè assentiri profitetur)

tetur) qui Christi nomen profiterentur & secum sentirent in sententiâ de Christi essentiâ h. e. ἀνθρωπον ψιλὸν, Hominem fuisse ex homine gentium, ut Ebion docuit. A Patribus Post-Nicænis se dissentire apertè fatetur. In eundem modum scribit in animadversionum defensione in Assert. Colleg. Posnanensis, cujus judicium hâc in re Crellius in Respons. ad Grotium de Satisfactione Christi & Smalcius contra Theses Schopperi de Trinitate sectati sunt. Mali corvi, mala ova. Ipse suprà fateris Samosaten. & Photinian. (qui Socinianis, ut satis constat, homodoxi sunt) in primitivis Ecclesiæ Patribus favorabiles sententias invenire potuisse. Fortasse, cùm Ariani deponas, Samosateniani aut Photiniani personam assumes. Bonum factum! Sed quomodocunque se res habeat, quòd ad particulare illud dogma de præexistentiâ Christi ante Mariam spectat, in confesso est Socinum cum assectis in Articulo Trinitatis Patrum Ante-Nicænorum consensum, saltem non dissensum, prætendisse. Imò hoc ipso in loco agnoscis Socinianos cum Arianis consentire, dùm negent consubstantialitatem, æternitatem & æqualitatem Filii Dei cum Patre. Judicet igitur æquus Lector an non immeritò me perstrinxeris, cùm scribas „ me frustrà plurima Patrum testimonia (non omnia) „ in primâ parte libri mei contra Socinianos congessisse, quià „ nemini tantus stupor potuit inesse ut Patres Socino homo„ doxos crederet: Quibus insuper addis, „ Experto mihi „ tutò credere poteris eos (Socinianos scil. qui Christiani „ audire volunt) Patrum testimonia non magis curare quàm „ Judæi curant testimonia Apostolorum. Quàm verè hæc „ scribas aliorum sit judicium. Quæ de tempore quo Arius se primùm orbi Christiano hæreticum palàm exhibuit operosè adeò differis in examen revocare me neutiquàm obstrictum censeo. Historici partes egi, non Chronologi. Mihi sufficit juxta vulgatas plurimas, imò penè omnes Lactantii editiones, nec non vetustissima manuscripta exemplaria in Vaticanâ Bibliothecâ recondita, Arianos inter aliós hæreticos Valentinianos scil. Marcionitas, &c. ibidèm recenseri. Fateor Arium priùs fuisse Schismaticum Meletianum quàm Hæreticum; sed Baronius & Helvicus minimè schismatis, in quo unus inter multos, sed hæreseos, cujus parens & Patriarcha erat, ortum designant.

Scripsi vocem *Arianorum* in vestustissimis Lactantii Manuscriptis reperiri. Regeris. „ In codice Bononiensi antiquissimo „ deest. Ità fortasse. Tibi credam, cùm inspiciendi mihi

copia non ſit. Quid indè colligis V. D ? „ Ergo, inquis, vix „cum veritate conſiſtere poteſt quod ſcribis vocem Arianorum in vetuſtiſſimis manuſcriptis reperiri. Tædet me ſanè harum ratiocinationum : ſed terram video. Si ſcripſiſſem in omnibus vetuſtiſſimis manuſcriptis reperiri aliquid diceres. Nùm codex Bononienſis omnia antiquiſſima manuſcripta in ſe continet ? Pergamus ad alia. Cùm ſcripſeris te ante ſeculum quartum Doxologiam noſtram, *Gloria Patri* &c. *Filio* &c. minimè obſervâſſe. Quærebam an non apud Polycarpum & Juſtinum (quibus Clementem Alex. nec non Dionyſium Alex. addere potuiſſem. vid. Hypotyp.) repereris. Polycarpus ſanè in hunc modum precatur, *Te laudo — per Jeſum — per quem tibi cum eo gloria in ſecula. Amen.* Obſerva. Ait ſanctiſſimus Martyr tibi non modo per eum ſed cum eo gloria eadem indiſcriminatimque. Spiritûs S. nomen apud Polycarpum non occurrere probè novi, ſed habes idque ſæpiùs, in Juſtini M. Apolog. *Hunc Deum* (ſcil. Patrem Filium & Spiritum S.) *colimus & adoramus.* Iterùm loco à te citato. *Jeſum Chriſtum in ſecundo loco, Spiritum in tertio ordine μετὰ λόγυ cum ratione honoramus.* Ubi *cum ratione* minimè, quòd tu velis, notat cultûs diverſitatem ſed colendi *æquitatem.* Sed quid hoc, inquis, ad Doxologiam ? Aliquid, imò plurimùm. *Tibi* (Pater) *cum illo* (Filio) *gloria.* Nonnè vides eandem planè gloriam utrique Patri & Filio à Polycarpo offerri ? *Nos,* inquit Juſtinus, *Patrem Filium & Spiritum S. colimus & adoramus.* Nùm tu in cultu aut adoratione diverſitatis aut diſtinctionis volam ullam aut veſtigium percipere potes. Haûd immeritò igitur de meo addidi *pari ratione diverſo tamèn charactere.* Hinc concluſio mihi erat, Certo certius eſt Catholicos ab ipſis Eccleſiæ primordiis, *Gloriam Patri Filio & Spiritui S. pari ratione* ſeu indiſcriminatìm & indiſtinctè (ſcil. quoad ipſum cultum ſeu adorationem, quæ gradus cùm ſumma ſit neutiquàm admittit) reddidiſſe. Putaſne tu Polycarpum, Juſtinum, aut ullum ex primitivis Patribus creaturam quamlibet, ſanctiſſimam licèt, Angelum vel hominem, ſimul cum Deo indiſcriminatìm adoràſſe ? Si hæc tibi minimè ſufficiant Clementis Romani Patrum omnium antiquiſſimi Doxologiam perpendas velim. Tibi (i. e. Patri) *omnis gloria & adoratio Filio & Spiritui S. & nunc & ſempèr in ſecula ſeculorum. Amen.* Teipſum jàm appello an Doxologia, ut dicitur, Arianorum ſit omnium antiquiſſima.

Scripſi tandèm. Huic formulæ ſcil. Gloria Patri Filio & SS. tempore Conſtantii Imperatoris Arianos τὸ ὁμοούσιον oppugnantes aliam illam ſcil. *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.* non

ſinè

ſinè tumultu oppoſuiſſe. His reſpondes. Jàm loqueris contra fidem hiſtoricam, & ſcire velim quo anno circitèr, ubi aut quo auctore Ariani id fecerint? Itanè V. D. contra fidem hiſtoricam? Nonne Hiſtorici fidei probatiſſimæ hæc referunt? Videſis obſecro Sozomenum Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 19. & Theodoretum lib. 2. cap. 24. Tripart. Hiſt. lib. 4. cap. 35. Quo anno, circitèr? Imperante Conſtantio. Ubi? Antiochiæ. Quo auctore? Diabolo opinor hæreticorum omnium Patriarchâ.

His adjungis. „Sed ut tertio ipſius gladio incruentè con„ficiam, dicam ſaltem te ſupra ſcripſiſſe Athanaſium, Baſilium, „alioſque Catholicos Patres uſos eſſe formulâ illâ, *Gloria Pa„tri per Filium in Spiritu S.* Mihi verò perſuaſiſſimum eſt eos a„bominaturos fuiſſe iſtiuſmodi Doxologiam ſi idem tecum „credidiſſent; nimirùm Arianos illam *primùm* oppoſuiſſe ceu „*novitèr inventam antiquæ.*

His reſpondeo. Dolet me gladio adeò obtuſo & rubiginoſo confici. Fateor Athanaſium, Baſilium, cum aliis, ut notiſſimum eſt, Anti-Arianis, formulâ illâ, *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.* uſos eſſe: Sed neutiquàm Arianorum ſenſu vel propoſito, ſcilicèt ut præpoſitionis hujus, i. e. *per*, ſubſidio, Filium Patre eſſentiâ ſeu ſubſtantiâ inferiorem eſſe ſignificarent, quam alteri, *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* eum in finem hæretici ſeditioſè & tumultuariè oppoſuêre: non ut *novitèr inventam*, quod tuum inventum ſeu commentum eſt, a me nullibi ſcriptum, ſed ut Arianæ hæreſi magìs conſonam & accomodam. „Verùm Patres, inquis, vetârunt ea agere quæ „recta & bona erant ſi hæretici eâ agerent ut ſe ab iis diſtin„guerent, utì in trinâ immerſione baptizatorum. Reſponſum ſit, hanc Patrum regulam nec ſempèr nec in omnibus obtinuiſſe, aut obſervari debere; aliàs Fanaticorum inſtar omnia quæcunque ab hæreticis aut Pontificiis uſurpata è ſacris ut abominandas abjicerentur, nimirùm Symbolum Apoſtolicùm, Oratio Dominica, cum multis aliis, quod nullo modo concedendum eſt.

Colophonem addens (quem Epinicium meum appellas) ſcripſi, *Antiquitati igitur locum cedat novitas.* Quæ verba, nè indè calumniam male intelligendo ea quæ bene dicta ſunt in me ſtrueres, non tàm diſpares Catholicorum & Arianorum καλὰ λόξια Doxologias reſpiciunt quàm utriuſque ſenſum. Quem in finem te priùs ſubmonui, Omiſſâ (dixi) de verborum ſeu formularum ſyllabis controverſiâ certo certius eſt Catholicos, (Athanaſium ſcil. Baſilium & Leonem M. quos Arianos minime

mè fuisse nec ipse, opinor, dubitas, licèt Arianâ ut & Homousianâ Doxologiâ usi fuerint) ab ipsis Ecclesiæ primordiis, quemadmodùm ex Clemente Rom. Scriptore tibi tantùm non divino, saltèm inter Patres omnium antiquissimo, & Justino probatum dedi, *Gloriam Patri Filio & Spiritui S.* pari ratione absque ullâ, quoad essentiam saltèm, inæqualitatis aut inferioritatis notâ, indiscriminatìm ut inter se consubstantialibus, coæternis & coæqualibus eodem planè modo obtulisse. Hæc illa, nî fallor, *bona & antiqua via est* quam Patres cum Patre tuo tibi nobisque commendârunt. Idem igitur vel boni ominis gratiâ Epinicium cantabo, *Antiquitati cedat novitas & Christianismo Arianismus.* Hæc habui Cl. V. quæ in tua reponenda censui, & ut æqui bonique consulas obtestor. Non est mihi animus tecum æternùm litigare, nec illud in Theologiâ mihi placet Aristotelis ἡ ἐριστικὴ ἡδεῖα καὶ τὸ νικᾶν ἡδύ. Alia me manent negotia quibus declivem hanc ætatis meæ partem consigno. Ego vicissìm te Spiritùs S. gratiæ & lumini, meque tuæ benevolentiæ animitùs commendo, quem ut Christi cultorem deceat ad omnia officia non minùs promptum paratumque prout occasio se obtulerit experieris. Vale V. D. in Christo Deo & Servatore nostro communi, æternùm vale.

A P-

APPENDIX DE CINGALLO.

NEc mireris, Cl. V. me hiſce de Cingallo quædam ſubnectere; nonnulli enim eruditorum, ut Doctiſſimus & Reverendus Vir me nupèr admonuit, Cingallum haùd alium eſſe ſuſpicantur quàm perſonatum Sandium, eundem alterum Sofiam. Sanè qui utrumvis rectè nôrit ambos noverit, non ità diſſimiles ſunt argumento, nec ſtylo. Sandius in Cingallo ut videre eſt utramque ferè facit paginam, hunc paſsìm citat, laudat, celebrat, imò nonnulla habet quæ literis Sandianis mihi privatìm miſſis & tùm temporis nondùm opinor, in lucem editis, planè gemina ſunt. De toto opere viderint alii quibus otium abundat. Hoc tantùm dicam; eum multos Scripturæ locos qui SS. Trinitatis Conſubſtantialitatem, coæternitatem & coæqualitatem validiſſimè probant, imò nonnullis quos ipſe producit longè præferendos, unius vel alterius recentioris nonnunquàm Interpretis autoritate nixus ablegat & enervat. Contra Socinianos, fateor, Sandii inſtar, animoſe & nervoſe diſputat, contra Arianos dilutiùs & paulò negligentiùs, quorum argumentis prolixè ſatìs propoſitis, breviſſimè quaſi aliud agens, & incurioſiùs ſatisfacit. Ego verò illa tantùm quæ ad meipſum propiùs ſpectant levitèr attingam. Imprimìs ait me

me contra Sandium in Pontificiorum Traditionariorum gratiam Patrum Ante-Nicænorum Apologiam contexuiſſe. Belle! Nùm igitur Patrum Ante-Nicænorum longè ante Papiſmi ortum toto orbe Chriſtiano tùm doctrinâ tùm pietate celeberrimorum Apologiam texere idem eſt ac in Pontificiorum Traditionariorum gratiam ſcribere? Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ Romanenſes. An non rectiùs multò dixiſſet in uſum Chriſtianæ fidei & Eccleſiæ verè Catholicæ? Nùm Proteſtantes Patrum Ante-Nicænorum traditionem h. e. doctrinam circa Trinitatem eorum ſcriptis traditam & ex S. Scripturâ confirmatam reſpuunt, quià Romanæ *ſolius* Eccleſiæ traditiones in Articulis fidei ſtatuminandis quæ S. Literarum autoritate deſtituuntur ut firmum minùs fundamentum rejiciant? Haud puto.

Quibus addit, „me Apologiam illam (ut aptè minùs vo„cat) contexuiſſe infælici ſucceſſu ut eruditos, inquit, ferè „judicare in ipſâ Angliâ audio. Ità fortaſſe; nec enim mihi conſtat quid Cingallus audiit. Ego Viris eruditis de iis quæ ſcripſi aut aliquàm ſcripturus ſum ſententiam ferre libentiſſimè patior; e quibus nonnulli, ſat ſcio, aliter ſentiunt. Unum inter alios, veniâ priùs petitâ, in medium proferam, ſed qui multorum inſtar erit. Reverendum ſcil. tùm temporis Eccleſiæ Paulinæ Londinenſis Decanum, jàm Reverendiſſimum totius Eccleſiæ Anglicanæ Primatem qui eâ quâ pollet humanitate mihi ob operam meam quaſi haud omninò, ut Cingallus ſuggerit, infælicitèr præſtitam, gratias agere minimè dedignatus eſt. De cæteris tacere ſatius puto.

Sequitur, „Me Calvinum ſecutum Filium Dei ἀυτόθεον ter„mino hæretico dicere. Sed quis obſecro è Patribus ſenſit? quodnam ex Conciliis hæreticum eſſe decrevit Filium Dei ἀυτόθεον appellare? Nùm hæreticus erat Epiphanius qui Hær. 69. Chriſtum ἀυτόθεον, aut Origenes qui ἀυτοουσίαν, & ἀυτοῦν, aut Athanaſius qui ἀυτολόγον compellavit. Sed aliis omiſſis Cingallum unico ſyllogiſmo ex ſuis ipſius verbis contexto Sycophantiæ manifeſtè convincam. Is qui eſt *ſummus* Deus, Deus altiſſimus, Deus *ſuper omnia*, qui Deum habet, *quatenùs eſt perſona aut Filius*, non verò *ſecundùm eam naturam juxta quam eſt æqualis Patri*, is ſine hæreſeos criminę (niſi Cingallus ipſe etiàm hæreticus ſit) ἀυτόθεος dicatur. Sed hæc omnia de Filio Dei aſſerit Cingallus pag. 164, 181, 189, 194. Ergo Filium Dei ratione eſſentiæ non perſonæ (quod Calvinus termino illo tantùm voluit Bellarmino Pontificio ſi non Cingallo perſonato opinor Lutherano minimè refragante) ἀυτόθεον dicere nullo modo

modo hæreticum est. Nùm juxta Cingalli Theologiam Deus essentiam Filii genuit? Haud opinor. Sin ità, seipsum, vel suam ipsius essentiam genuit, cùm essentia Patris & Filii (quod Ariani negârunt) una eademque numero sit.

Addit Cingallus (cui Sandius in literis accinit) „ Me in pri„ore parte Libri mei pleraque omnia labore supervacuo sal„tèm contra Socinianos, non contra Arianos produxisse, cùm „ nemo dicat Patres idem quod Socinus ante tradidisse. Benè habet. Agnoscit igitur me saltèm contra Arianos haùd frustrà Patrum testimonia allegâsse. Ego verò (Cingalli pace dictum sit) suprà probavi, Non neminem, scil. Socinum ipsum Crellium & Smalcium, Socini asseclas dixisse, Patres idem (saltèm minimè diversum) quod Socinus tradidisse. Dein, In primâ parte Libri mei contra omnes Anti-Trinitarios Patrum testimonia protuli, quorum pauca contra Socinianos solo; militant, plurima tùm Arianos (quibuscum præcipuè lis erat) tùm Socinianos feriunt. Nescitne Cingallus eadem argumenta, utrosque conficere posse? Videat pag. 180. Libri sui.

Pergit. Nihil producit contra Arianos ex Clemente R. Polycarpo, Hippolyto, Arnobio. Hem! Inspiciat obsecro si non librum meum, saltèm Indicem Patrum in limine præfixum. Nonnè aliquot, sex circitèr, paginas, ex Arnobio, nonnulla itèm ex Clemente Rom. Polycarpo, Hippolyto transcripsi? V. Hypotyp. pag. 1, 8, 122. Sed nihil (inquit) omninò contra Arianos ex Hermâ, Autore τοῦ λόγου τελείου, Phione, Melitone, Novatiano, Victorino, Pierio, Luciano, Methodio, Eusebio, Constantino M. Fateor ex Hermâ me nihil protulisse, quià, ut habet Eusebius, à multis repudiatur, pluribus, ut refert Origenes, dubiæ autoritatis est. Tertulliano verò, Prospero, Gelasio, Possevino, Inquisitoribus Hispanicis, Sculteto, Apocryphus & fabulosus. Quod ad Autorem τοῦ τελείου λόγου attinet, Is viris eruditis, quod doctissimus Casaubonus pluribus argumentis demonstravit, planissimè Planus est, ut inter alia majoris momenti illa indicant, Ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος ἡνώθη τῷ δεμιούργῳ νῷ; ὁμοούσιος γὰρ ἦν. Ubi Gentilis ille personatus τὸν λόγον sacrâ Ecclesiæ voce ὁμοούσιον appellavit. Profectò veniâ Cingalli dignum erat me nihil ex illo Autore, quem tamèn supposititium reputo, contra Arianos produxisse. Volebam autèm causam hanc genuinis Autoribus ornare. Philonem prudens sciensque prætermisi, quià illum inter Ecclesiæ Patres nullus reputo, cujus ne Filius quidem fuit, utpote Judæus. Nihil etiàm, fateor, adduxi

ex Melitone, ex cujus scriptis nihil, ut ipse nos Cingallus docet, reliquum habemus præter breve fragmentum in Chronico Alexandrino editum, infrà à nobis memorandum. Ex Novatiano plures paginas transcripsi, ut videre est in Hypotyp. pag. 106. Ex Victorino Pictabionensi nihil, agnosco, attuli, cùm Cingallo referente ex ejus scriptis nihil jàm habemus superstes. De Pierio & Luciano idem responderi posse autumo. Ex Methodio non nulla collegeram, sed cùm minoris momenti fuerint edenda minimè existimavi. Videat Lector apud Magdeburg. Cent. 3. cap. 10. Ex Euseb. Hist. Eccles. nonnulla etiàm produxi Hypotyp. pag. 148. lectu minimè indigna. Ex Constantino M. (licèt eum haud inter Patres Ante-Nicænos referrem qui Nicæno Concilio, ut & Eusebius, interfuit) etiàm nonnihil, quod apud Eusebium extat scil. cùm Arianos Porphyrianos appellâsset.

Mirari subit cur non addidit Cingallus me nihil etiàm ex Dionysio Areopagitâ, Martiale, Abdiâ, Prochoro, cum cæteris ejusdem autoritatis seu farinæ contra Arianos produxisse.

Allegavi fateor Justini M. Epistolam ad Diognetum, & addidi ejus autoritatem vacillare. Rectè. Sed quanquàm indubiæ omninò apud omnes autoritatis non sit, alicujus tamen est. Epistola Jacobi, 2da Petri, &c. uti olim haud jàm temporis, apud omnes extra omnem dubitationis aleam positæ habentur. Quid inde? Ut nullius igitur autoritatis allegare non liceat? Viderit Cingallus cum suis. Valeat igitur illud Justini testimonium apud alios quantum valere potest; apud Cingallum, opinor, alicujus momenti erit qui in eundem plane sensum scribit, *An non Rex potest mittere Filium suum &* (forte legendum, ut) *legatum, cùm tamen Filius & Legatus cum Rege sint ὁμούσιοι?* pag. 206.

Dorsheus & Bebelius testes minimè idonei sunt (utpotè recentioris autoritatis) ut probent Gregorii Thaumaturgi fidei Confessionem à Gregorio Nysseno olim laudatam esse spuriam, falsam aut fallacem. Sed de Gregorio Thaum. suprà egimus.

Pergit Cingallus. Allegat suppositiam & perfidè versam Apologiam Origenis sub nomine Pamphili. Cum Cingallo concinit Sandius in literis suis. Quibus respondeo, Non modò Ruffinum, sed Socratem Hist. Eccles. lib. 4. cap. 27. & Nicephorum lib. 10. cap. 14. Apologiam illam ut à Pamphilo elaboratam laudare. Hieronymus, nec non Marianus Victorius Eusebio Cæsari adscribunt; quod perinde est cum sum-

mus

mus inter Eusebium & Pamphilum opinionum emicuit, eodem referente Hieronymo, consensus. Vocem autem ὁμουσίου, quæ forte Cingallum urit, apud Antiquiores Scriptores etiàm Orthodoxos reperiri, Eusebius testis est apud Socratem locupletissimus; cui Sandius etiàm astipulatur, ut suprà vidimus. Utcunque se res habeat sive quod ad Apologiæ illius autorem, vel interpretis fidem attinet, iterùm admoneo, Verba à me laudata ex Origenis Commentario in Epist. ad Hebræos allegari; quem Librum aut suppositìtium aut perfidè versum esse si probaverit Cingallus, erit mihi magnus Apollo.

Perfidi, insuper inquit, interpretis versionem Origenis Commentarii in Romanos allegat. Resp. Interpres ille erat S. Hieronymus haud contemnendæ autoritatis. Ego versionem optimam quam potui allegavi. Nùm Cingallus meliorem aut fideliorem proferre poterit?

Ex Tertulliani, inquit, operibus quæ scripsit cùm incepisset in articulo Trinitatis cum Montano Orthodoxè sentire nonnulla allegat. Hæc Ironicè. Sed cum bonâ Cingalli veniâ falsum esse ostendi Tertullianum *tùm demùm* cùm in Montani castra cessisset ità de Trinitate contra Arianam hæresin sensisse; imò, fatente suprà Sandio, Montani fides in Articulo Trinitatis erat Catholica. De corruptelis Gagnæi fidem meam suprà liberavi, quibus Cingallum remitto. Latinus textus Origenis non est, ut falsò asserit, contrarius Græco. Christus enim μετὰ τὸν πατέρα *post Patrem* (ordine) & *cum Patre* (naturæ scil. consubstantialitate) Deus est. Hæc optimè inter se consistunt.

Progreditur Cingallus. In posteriori parte nihil omninò respondet ad testimonia vel sententias Arianissimi à Sandio productas ex Hermâ, Autore λόγῳ τελείῳ Philone, Polycarpo, Tatiano, Melitone, Hippolito, Theognosto, Novatiano, Gregorio Thaumaturgo, Concilio Antiocheno, Victorino, Pierio, Luciano, Methodio, Eusebio, Constantino M. Rationem suprà dedi aliquâ ex parte, scil. Quià spuria, ut plurimùm, & Apocrypha sunt. Ampliùs respondeo. Quòd ad Hermam spectat, Testimonium ejus inter cætera præcipuum ab Athanasio nec non Theodoreto memoratum est *Primùm crede unum esse Deum qui omnia creavit* &c. Rectè. Quis negat unum, imò unicum esse Deum? Viderint illi qui plures Deos supremo subordinatos & inferiores cum Sandio comminiscuntur. Nonne Ariani in Conciliis eorum Christum *Deum verum ex Deo vero ante secula genitum* confitentur? Quo pacto igitur illud Hermæ testimonium nos magìs quàm Arianos premit?

mit? Item Filium ut hominem esse comprehensibilem & servum, quia à Patre suo omnem potestatem accepit ob id quòd ejus mandata executus sit, quis dubitat? Num Deus verè & proprie sic dictus h. e. immensus & infinitus, Arianis comprehensibilis est? Num servus? Semen verò humanum dictatum esse à Deo scil. in utero B. Virginis cum Filio Dei, h. e. Semen mulieris fuisse Dei Filium & unitum esse personæ Filii Dei Catholicum est. Frustrà igitur hæc ex Hermâ à Sandio allegantur.

Illis item quæ ex Trismegisto protulit minimè difficile est respondere. Scripsit Planus ille Dominum & omnium Conditorem (h. e. Patrem) fecisse & creâsse secundum Deum visibilem & sensibilem. Miror non suppuduisse Sandium hæc in Arianorum gratiam proferre. Num Christus igitur iis Deus secundus est? Quorsum igitur Hermæ testimonium jactent, *Crede unum esse Deum &c.* Num Christus ut Deus visibilis & sensibilis est? Apagè blasphemiam Arianis dignam. Sandius ipse eorum advocatus diffitetur Christum esse juxta naturam divinam (h. e. ut vult, Angelicam) visibilem aut humanis oculis aspectabilem. Quæ sequuntur nihili sunt. *Non offerendum esse Deo thus &c. Verbo sacrificare Deo oportet, siquidem Deus Verbum est.* Quid hæc ad Arianorum causam, vel contra Anti-Arianos? De Philone Judæo suprà responsum est. Miror autem Cingallum de Platone altùm silusse. Ex Polycarpo nihil omninò ad rem, quicquid somniat Cingallus, produxit Sandius; nisi illa notatu digna putet Polycarpum Christum sæpiùs à Deo distinguere. Egregiè! Nonne Christus Arianis etiàm Deus est? Num Catholici cum Sabellio Patris & Filii personas confundunt?

Quod ad Tatianum attinet. Scribit, allegante Sandio, *Verbum esse Patris opus & factum.* Rectè ἔργον appellat Patris sed πρωτόγονον *primogenitum*, non factum. Quanquàm non diffitebitur, sat scio, Cingallus idem esse παιδοποιεῖν filium facere ac gignere, juxta illa Jere. 15. 2. Ποιήσας τεκνὰ, & Deut. 32. 6. Οὐκ αὐτὸς Πατὴρ ἐποίησε σε; Nego igitur suffragante mecum Cingallo ullo modo consequi *Verbum* seu Filium Dei fuisse ex nihilo factum, non autèm ex Patris substantiâ genitum. Patres enim (ut ipse verissimè scribit pag. 191.) antequàm procella Ariana mota fuisset, *facere* sive *creare* dicebant etiam de iis quæ *gignebantur ex substantiâ gignentis.* Paulò post. Ante Arium tutò, orthodoxè & pio sensu Veteres *Filium* dicebant *factum, creatum & creaturam*; uti & ipse etiam observavi Hypotyp. pag. 119. Hæc spero Cingallo apprimè placebunt, cum sui ipsius verba

sint.

sint. Verùm addit, Tatianum statuere omne genitum cœpisse esse habereque principium, nec parem Deo potentiam habere. Haud memini Tatianum hæc ullibi de Verbo Dei Filio scripsisse. Tantùm ait materiam mundi cùm aliquando cœperit & genita sit (h. e. in tempore creata) parem Deo potentiam habere nequit. Quid hoc ad Christum, non in tempore creatum aut factum sed ab æterno verè genitum attinet? Imò ex hoc Tatiani loco argumentum suppetit contra Arianos, Quod in tempore genitum seu creatum est & aliquandò cœpit parem Deo potentiam habere nequit. Sed juxta unanimem Patrum consensum Christus omnipotens est seu parem Deo potentiam habet, Ergò non est ut materia creatus, nec aliquandò cœpit sed ab æterno genitus est. Sandius ipse alicubi concedit Patrem Filio suo in tempore nato omnem potestatem, h. e. ut intelligi vult, omnem potentiam seu omnipotentiam concessisse, gratiæ scil. munere non naturæ communicatione. Parem igitur secundum eum habere potest in tempore genitum eum ingenito potentiam.

Tandem Tatianus in Oratione contra Græcos neutiquam ait, ut refert Sandius ex Huetio, *Deum cùm mundi creationem meditaretur Verbum suum protulisse quo administro in rerum molitione uteretur,* (quæ Theophili potiùs Antiocheni, quantum memini, verba sunt) sed *cùm voluit Verbum ex ejus simplicitate profluit*, quod aliud est. Voluit autem, falsèm voluisse potuit, juxta Tatianum, ab æterno. Nec facile crediturus sum, quicquid Sandius aut Cingallus Huëtii autoritate freti asserunt, illa prius memorata, scil. *Deum cùm mundi* &c. vel in Athenagorâ, aut Justino M. reperiri posse.

Ex Melitone hæc tantùm memorat Sandius, Christianos solum Deum adorare qui est ante omnia, & super omnia & super ipsum Christum Verbumque suum: quæ Arianorum causam parùm aut nihil adjuvant. Quis enim negat Deum Patrem ut Patrem esse super Verbum Filium suum quâ talem? superioritatem hanc pure relativam, non essentialem facilè admittimus. Notandum insuper est, quòd Melitonis opera Gelasio Apocrypha sunt.

Illis autem quæ Sandius ex Novatiano produxit pluribus respondi, ut quivis, nisi planè oculis aut mente captus, videat, pag. 200, 201, 202, 207, 208, 210, 211.

Quid Thaumaturgus? Is, referente Sandio, docuit Filium esse creaturam & facturam. Sed indè perperàm infertur non fuisse ex Patris substantiâ genitum, ut modò ex Cingallo didicimus. Dein. Quis dubitat Christum ut *Filium hominis* fuisse creaturam

&

& factura? Similiter iis, cùm planè gemina sint, respondeo quæ à Sandio ex Theognosto afferuntur, què contra Arianos testè producit Athanasius, cujus autoritatem Gregorio Nysseno, nec non Photio meritò opponam. Quod ad Concilium Antiochenum attinet, Patres illi contra Hæreticum Samosatenum statuerunt Christum non esse purum hominem, aut *ratione naturæ tantùm humanæ gratiâ donatæ* (ut Paulus iste docuit) *Deum*, aut Patri suo eo respectu ὁμούσιον; nisi respondi pag. 148. Divina Christi natura sola Deo Patri ὁμοούσιον & statuitur.

Victorinum addit Cingallus ut numerum adaugeat. De illo enim scribit Sandius, Non constare qualia docuerit, nisi quod Chiliasmum (non ait Arianismum) professus est. Proferantur Victorini sententiæ quæ Arianismum confirmant. Pierius, inquit Sandius, docuit Filium & Patrem esse duas essentias seu naturas. Quid inde? Hilarius scripsit Patrem & Filium esse duas substantias. Num igitur Arianus erat? Spiritum S. qui à Patre & Filio procedit esse aliquo modo utroque inferiorem sæpiùs à nobis concessum est. Sed undè hæc Pierium docuisse probat Sandius? Num ex ejus Scriptis? Minimè; sed ex Photio quadringentos pòst annos nato. Nec alia responsione opus est iis quæ ex Hippolyto profert Sandius Photii solius autoritate nixus. Quibus superaddam Hippolyti Scripta à nonnullis Viris doctissimis inter alios R. Juello, minùs probari. Ex Luciano nihil producere potuit Sandius undè liquidò constet eum fuisse Arianum. Ejus enim confessio fidei Symbolo Nicæno, saltèm quoad sensum, minimè refragari ipsum habemus ibidem confitentem, quæ apud Sozomenum extat lib. 3. cap. 5. Petavium autèm cum Huetio Patres Ante-Nicænos immeritò Arianismi insimulâsse ex iis opinor quæ à me collecta sunt satìs certum est. Indè judicet æquus Lector quàm verè scripsit Sandius Bellarminum & Paxillum quædam testimonia ex Patribus in favorem doctrinæ suæ de Trinitate allegasse — quæ vix centesimam partem æquant eorum quæ in contrarium reperiuntur, &c. Nucl. l. 1. ad finem.

Eusebius Cæsar. Concilio Nicæno interfuit, quam ob rem eum inter Patres Ante-Nicænos non numero. Utrùm Arianus fuerit necnè sub judice lis est. Certò constat eum Constantino etiàm M. suasore, Symbolo Nicæno subscripsisse, & τὸ ὁμοούσιον ut à vetustioribus & Catholicis Ecclesiæ Patribus usurpatum approbâsse. Si Arianus interìm intùs & in animo fuerit Arianorum consortio dignus erat, non Catholicorum. Illa interìm præclarissima sunt quæ Hist. lib. 5. cap. 27. de Justino, Meltiade, Tatiano, Clemente, Irenæo & Melitone refert in quorum

quorum libris Christus ut *verè Deus* celebratur, nec non de Hymnis ab Apostolorum ætate deductis & in Ecclesiâ cantitis, in quibus Christum Verbum Dei *verum Deum* esse concentu quodam profitebantur. Constantinum Magnum *Ariomanitas* laceràsse & *irrupisse* confirmàsse, quod ex Sozomeno lib. 2. cap. 30. refert Sandius, fabula est & effrons commentum; quam nihil tale apud Sozomenum loco suprà dicto occurrat. Theodosium sanè Arianorum Symbolum laceràsse ex Sozomeno liquidò constat. Nec absimile est quod sequitur, scil. Constantinum provectâ tandem ætate Arianæ hæresi assensisse; cujus contrarium apud Sozom. legas lib. 3. cap. 1 & 2.

Pergit Cingallus aitque Me præcipuas difficultates quæ apud Sandium occurrunt intactas præteriisse; ut verba illa Lactantii, *Filium aliquandò non fuisse*. Quod verum est me illa intacta præteriisse: respondi enim verba illa in editionibus integris non inveniri, cùm in Codice Coenobii Bononiensis, omnium quotquot in Europâ extant antiquissimo, nec in octo Vaticanis Manuscriptis, vel in vetustâ Tornesii editione usquam compareant.

Jàm ad Cingalli fæces pervenimus. *Ineptum* est, inquit, quòd ait in Ignatio *resolvi* Masculino genere rectissimè verissimèque reddi. Ego verò, ut suprà videre est, probavi ita reddi posse, imò ratione ex Epistolæ scopo verborumque contextu deductâ ità reddi debere; eo enim in loco S. Martyr contra Gnosticos Sabellii præcursores apertissimè differit.

Ineptiùs adhuc, Cingallo judice, quòd scripseram Tertullianum per Filium Dei, de quo dicitur *tempus fuisse quandò non erat*; non Christum sed mundum quo cum tempus incepit denotari; Cujus sententiæ meæ rationes dedi quas Cingallus minimè attingit. Nùm Arianis *Verbum post tempus cœpit*, qui juxta eos ante mundum incepit? Nùm tempus ante mundum.

Ineptissimum tandèm quòd asseram Lactantium scripsisse (quæ communior saltèm Doctissimorum Virorum opinio est) post exortos demùm Arianos. Quid his præter suum Ipse dixit opponit Cingallus? Nihil planè, nisi *ineptum*, *ineptius*, *ineptissimum*, quasi Pædagogi instar Puerorum verba formaret.

Cingallum R. & Doctiss. Taylorum mihi ut eruditiorem & magìs Orthodoxum præponere vel opponere æquissimè fero. Puto tamèn (judicium penes eruditos sit) me luce clarius ex Socrate & Sozomeno ostendisse, Arianos Patrum sententiæ in finiendis

finibus de religione quæstionibus acquiescere minimè consensisse, nec eorum judicium appellâsse, aut unanimi saltem consensu ad eos provocâsse, eorumve arbitrium minimè à Catholicis, qui illud ipsum maximoperè & obnixè desiderabant, acceptatum fuisse. Undè ut refert Sozomenus, Theodosius Imperator Opt. perspectâ hæreticorum pertinaciâ qui definitum aliquid quod ad Patres spectabat pronunciare detrectabant, & quòd non Veterum de fide expositione, sed solâ, (Sociniano rum instar) disserendi subtilitate confidebant, aliâ ad resarciendam Ecclesiæ unitatem viâ insistere coactus est; nimirum ut Ariani cum cæteris hæreticis propriæ fidei Symbolum exhiberent ab Imperatore dijudicandum, qui illud perlectum laceravit. Quod verò ad extremum me, quiâ Patres ut primitivæ & Apostolicæ doctrinæ, non *infallibiles judices*, sed *fidelissimos & maximè idoneos testes* laudaverim, *papizare* impropera rat, planè salvâ ejus reverentiâ ridiculum est aut malitiosum. Quid enim? Nunt Juellus, Chamierus, Mortonus, Dallæus, Mornæus, Perkinsius, imò Taylorus ipse, cùm ex Patrum Scriptis Protestantium dogmata confirment & inter alia perfectionem ipsam S. Scripturæ contra non scriptas Pontificiorum inrebus fidei traditiones, evincant, in Papistarum gratiam scripsisse vel *papizâsse* censendi sunt? Quis excors adeò ut hæc vel somniaverit? Mallem sanè ego cum tantis Viris in hunc modum papizare quàm cum Cingallo ineptire, qui facit næ respondendo ut nihil plane respondeat.

FINIS.

ERRATA.

PART .I.

PAg. 3. line 20. *dele* ac, pag. 6. lin. 3. lege *resorbeas*, & lin. 6. *pretium* Ibid. lin. 39. lege *κυριώτερον*, & *principalius*, pag. 8. lin. 35. lege *rariùs*, pag. 10. lin, 2. lege *pretium*, pag. 14. lin. 23. lege *Separabiles*, pag. 34. lege [illegible]λὸν.

PART II.

Ac lege *adi*, pag. 56. *Humilitatem* lege *Humanitatem*, pag. 53. *Pratium* lege *pretium*, pag. 60. *Cantradicat* lege *contradicat*, pag. 61. pag. 62. *in fine* lege *denuò*. φιλὸγ lege φολὸν, pag. 57.

In *Append.*

Nunquam lege *unquam*, pag. 62. *Omnigenitum* lege *omne genitum*, p. 67.